DE SEDULII POETAE
VITA ET SCRIPTIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

DR. IOHANNES HUEMER.

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS ALFREDI HOELDERI.
MDCCCLXXVIII.

MAGISTRO · OPTIMO

GUILELMO · HARTELIO.

„Noch besitzt die römische Litteratur viel unangebautes Land, wo man mit einigen dunklen Begriffen genug zu haben meint; in solche Winkel dringt die Forschlust selten, sie verweilt lieber geschäftig auf bekannten Tummelplätzen und mehrt das Gewühl streitender Meinungen ohne jedoch die Ergebnisse der Vorgänger aufzunehmen und ergänzend dem äussersten Ziel in Vollständigkeit näher zu treten."

Bernhardy R. L. G. p. VIII.

„Indignum mihi videbatur, Christianos poetas adeo negligi, ut ne nomen quidem iuventuti scholasticae sit cognitum: quum ex illorum multis nitor poeticus aeque ut ex Romanorum praestantissimis . . . . pernoscatur."

Cellarius,
praef. ad Sedulii, poetae inter Christianos veteres elegantissimi, opp.

Hieronymus in epistula ad Eustochium narrat haec c. 30: „Cum ante annos plurimos domo, parentibus sorore cognatis et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi propter coelorum me regna castrassem et Jerosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romae summa studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet ipsum reversus prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus." Tum mala febri vexatus per somnum ad dei tribunal pertrahi sibi videbatur, ubi tantum luminis et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram sursum aspicere non auderet. Interrogatus de condicione, cum christianum se esse respondisset, ille, qui praesidebat: „mentiris", inquit, „Ciceronianus es, non Christianus: ubi enim thesaurus ibi et cor tuum." Denique post multa verbera (nam deus eum caedi iusserat) veniam accepit, sed tamen ita, ut ne quando gentilium litterarum libros legeret. Inde, in epistulae fine asserit Hieronymus, tanto studio se legisse divina, quanto non legerit ante „mortalia."

Cognoscimus ex hac Hieronymi narratione sane multa, quae nos doceant qualis fuerit vergente saeculo quarto p. Chr. n. et saecularium et divinarum litterarum condicio. Praevalebant longe illae ita, ut praeclara opera veterum auctorum inprimis poetarum in manibus liberaliter eruditi cuiusque essent. Hoc modo evenit, ut post templa et simulacra veterum

deorum dearumque eversa, post Jovis sacerdotes expulsos, doctoribus christianis frustra repugnantibus vetus superstitio quam dicebant, usque quaque propagaretur in civitate christianae legi iam dedita. Neque mirum est saeculares litteras praevaluisse, cum essent quasi fons, ex quo omnis eruditio manaret, qua tum homines a pueris imbuerentur. Grammaticorum autem et rhetorum, qui ab Hadriani prope aetate ab imperatoribus publica salaria acceperant, iam Suetonii tempore tantus numerus erat, ut nonnunquam super viginti celebres scholae in urbe essent, et de notissimis doctoribus nonnulli in provinciis quoque docerent (cf. de gramm. c. 3). Cum doctrina grammatica studium poetarum inprimis Virgilii ita erat coniunctum, ut postea carminibus Virgilianis bene eruditum esse idem valeret atque artem grammaticam sapere. Augustinum habemus testem saeculo quarto et initio quinti in scholis publicis pueros Virgilii inprimis carminibus instructos esse, dicit enim de civ. dei I 3 „Nempe apud Virgilium, quem propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis non facile oblivione possit aboleri, secundum illud Horatii:

Quo semel est inbuta recens servabit odorem
Testa diu —

apud hunc ergo Virgilium nempe Juno inducitur e. q. s.“ et Conf. lib. I 13 queritur idem de iis magistris, qui grammatici vocantur „quibus“, inquit, „tenere cogebar Aeneae nescio cuius errores, oblitus errorum meorum et plorare Didonem mortuam, quia ipsa se occidit ob amorem . . .“ Quorum scriptis pueri christiani imbuti erant, eos auctores quamquam gentiles in manibus habere admirari laudare pergebant adulti. Quin etiam doctorum christianorum celeberrimi, Hieronymus ad gentiles auctores confugit[1]), unde solatium et recreationem peteret et Augustinus, cum in eo esset, ut Virgilium refelleret, laudibus carmina exornavit.

[1]) Idem cum sacerdotes facere videret, ira inceditur et graviter eos increpat, ad Damasum epist. XXXI. „At nunc etiam sacerdotes dei, omissis Evangeliis et Prophetis videmus comoedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium: et id quod in pueris necessitas est, crimen in se facere voluptatis.

Haec de saecularium litterarum condicione; de divinis autem quid dicemus? Nondum Cassiodorii temporibus publice tradebantur, easque non solum a laicis sed etiam a sacerdotibus esse neglectas ex doctorum christianorum querelis et obiurgationibus satis colligitur.

Causas neglectarum litterarum divinarum auctores christiani iique ingeniosissimi eius temporis nobis monstrant. Ut Hieronymum a legendis prophetis horrore sermonis inculti abductum esse supra vidimus, ita et Augustinus eadem fere causa permotum sacras se quondam neglexisse scripturas nos docet Conf. lib. III 5. „Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna quam Tullianae dignitati compararem.“ Eadem molestia in legendis litteris divinis qua Hieronymos et Augustinos etiam multos alios, quin potius liberaliter institutum quemque affectum esse recte statuimus, praesertim cum illam aetatem forma habituque versuum et sermonis magis esse delectatam quam materiis tractatis res sit notissima. [1]) Attamen iis, qui religio christiana ut traderetur et pervulgaretur, cultus vero veterum deorum imminueretur et aboleretur omni modo nitebantur, maximae esse curae necesse erat, ut aequales a gentilibus scriptoribus abstraherentur et ad legendas divinas litteras perducerentur. Qua via res erat persequenda? Sane non ea, quam ingressus est Hieronymus, qui minando et increpando et fabulis enarratis, in quibus gentilium litterarum amantes poenis gravissimis vel verberibus afficiebantur, rem acturus erat; nam ne sacerdotes quidem dei hoc modo absteruisse eundem Hieronymum, supra demonstratum est. Neque mirandum est doctores christianos verbis et minis nihil effecisse, cum ipsi in gentilibus scriptis studiose et multum volutati eorumque amantissimi cognoscerentur. Multo rectius ii cogitabant, qui in scholis publicis gentilium inprimis poetarum loco, christiani ut legerentur et tractarentur, summopere exoptabant. Id vero eo tempore fieri non potuit, nam

[1]) Cf. Luciani Muelleri de hac re sententiam (praef. ad P. Optatiani Porfyrii carmina p. VI.). „Intenderunt rem Romani praeter imitationem Alexandrinorum etiam incompti decoris odio. Porro quo gravior evenit uergente ac senescente antiquitate materiae inopia, eo magis optinuit facetiarum ac ludibriorum cuiusuis modi studium.“

nondum inter christianos exstiterant tales poetae, quales cum gentilibus praestantissimis compararentur (divinae autem scripturae, quales erant, verbis erant incomptae). Quam quidem rem iterum ex Hieronymo evincimus, qui, cum Bethlehemae scholam grammaticam aperuisset, pueros Virgilium et alios gentiles poetas latinos graecosque edocuit, quam ob rem Rufinus eum vituperavit his, Apol. II. „Maronem suum comicosque ac lyricos et historicos auctores traditis sibi ad discendum dei timorem puerulis exponebat scilicet ut praeceptor fieret auctorum gentilium.“ In ea igitur carminum historias sacras describentium penuria, quibus christiani instituerentur, novum poeseos genus prodiit, quod hodie recte negligitur, tum temporis autem et postea habuit et laudatores [1] et imitatores. Exstitit centonum genus christianorum „qui“, ut integris Isidori Hispalensis verbis utar Etym. I 39 „de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis versibus unum sarciunt corpus ad facultatem cuiusque materiae.“ Describebant igitur vetus et novum testamentum vel partes tantum versibus modo integris modo dimidiatis modo versuum particulis ex Virgilio assumptis. Auctor et quasi princeps huius generis poeseos est Proba Faltonia, quae saeculi quarti altera parte claruisse videtur (cf. Aschbach, Sitz. Ber. d. Akad. d. Wiss. in Wien 1866. S. 420 ff.). Causam, qua ducta centonem illum continentem historiam veteris et novi testamenti composuerit, clare indicat ipsa in carminis prooemio (v. 24. seq. ed. Teucheri):

„Nunc, Deus omnipotens, sacrum precor, accipe carmen,
Aeternumque tui septemplicis ora resolve
Spiritus, atque mei resera penetralia cordis,
Arcana ut possim natis Proba cuncta referre.“

et paulo infra:

„. . . praesens deus erige mentem:
Virgilium cecinisse loquar pia munera Christi,
Rem nulli obscuram repetens ab origine pandam.“

---

[1]) Cf. Aldhelmum, de re gramm. ac metrica. (A. Mai. auct. class. V. p. 579.)

Idem consilium centonis fuisse demonstrat et epigramma, quod adscribunt nonnulli [1]) Probae, et editores in capite centonis ponunt, cui inscribitur vel „dedicatio ad Theodosium Augustum“, vel „versus in capite Sedulii scribendi“, ut in Riesii anthologia latina 735, vel „prologus centonae Probae“ ut equidem legi in codice Laurentiano 15. plut. XXIII.

v. 3. „. . . . . dignare Maronem
Mutatum in melius divino agnoscere sensu,
Scribendum famulo quem iusseras . . . .

v. 12. Haec relegas servesque diu tradasque minori
Arcadio, haec ille suo generi [2]); haec tua semper
Accipiat doceatque suos augusta propago.“

Sed hoc christianae poeseos genere pueris quidem instituendis non inepto viros doctos eius et posterioris aetatis non adeo delectatos esse facile colligimus; nam divinus afflatus ex illo cognoscitur nullus. Poesi christiana increscente centones negligi coepti sunt. Nova autem et magna incrementa cepit illa, cum poetae iique ingeniosi exsisterent, qui praeclarum Lactantii Firmiani inter prosaicos auctores exemplum secuti res divinas ex gentilium poetarum praestantium more tractarent. Versuum enim et verborum elegantia et ornatus iis eo maiori curae esse necesse erat, quo graviore a rerum tractarum novitate et nonnunquam asperitate profecta molestia afficiebantur ii, quibus carmina erant destinata.

Itaque saeculo p. Ch. n. quarto in genere poeseos lyrico, praeter Lucretium Virgilium Juvenalem alios Horatium imprimis in versibus metrorumque schematis fingendis secutus, inter christianos palmam tulit Aurelius Prudentius. Eum tanta gloria secuta est, ut in numerum poetarum lati-

---

[1]) Adhuc sub iudice lis est, quis epigrammatis auctor fuerit. Certe Aschbachio (l. c.) fides non est habenda, quem ne minima quidem dubitatio movit, quamquam v. 5, in quo vertitur quaestionis cardo, codices non „famulae“ (quod editiones), sed „famulo“ praebent.

[2]) Cur a genuina codicum (etiam Laurentiani et Marciani VII. cl. XII) lectione „semini“ editores discedant, non video.

norum optimorum postea sit relatus [1]). Hanc imitationis viam ingressi et in aliis poeseos generibus poetae christiani cum gentilibus contendere ausi sunt. Maximis autem difficultatibus obstruebantur illi, qui in epico genere cum Virgilio in arenam descensuri erant. Illius auctoritas erat tum maxima et Virgilianae poeseos laudes in omnium ore versabantur. Recte ergo cogitabant et faciebant illi, qui, cum historias sacras veteris et novi testamenti versibus descripturi essent, Virgilii vestigia presserunt. Quaevis materia Virgilianis versibus descripta non spernebatur, immo fovebatur. Qui primus materiam evangeliorum heroicis versibus descripsit, est presbyter ille Hispanus Caius Vettius Aquilinus Juvencus. Carmen eius inscribitur „historia evangelica". In prologo historiae evangelicae praemisso exponit causas, cur omnino carmen scripserit et quibus confisus se aeternam vel maiorem Homero Virgilioque gloriam se consecuturum esse speret. Sed audiamus eum ipsum, cum praeclara verba rei, de qua agimus, multum prosint. Dicit enim v. 1. seq.

„Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus; non ignea sidera coeli.
Nam statuit genitor, rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos in tempore longo frequentant:
Accumulant quorum famam laudesque poetae.
Hos celsi cantus Smyrnae de fonte fluentes
Illos Minciadae celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum discurrit gloria vatum
Quae manet aeternae similis, dum saecla volabunt,
Et vertigo poli terras atque aequora circum
Aethera sidereum jusso moderamine volvet.
Quodsi tam longam meruerunt carmina famam,
Quae veterum gestis hominum mendacia nectunt,

---

[1]) Cf. epigramma, quod Isidoro vulgo adscribunt, apud Mignium:
Si Maro, si Flaccus, si Nason et Persius horret,
Lucanus si te Papinianusque taedet,
Par est eximio dulcis Prudentius ore
Carminibus variis nobilis ille satis.

Nobis certa fides aeternae in saecula laudis
Inmortale decus tribuet meritumque rependet.
Nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta
Divinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus . . . . . .

Orat in prologi fine ut sanctificus sibi adsit spiritus, carminis auctor. Enarrat deinde per quatuor libros Christi „vitalia" facta eiusque gratiam in fine operis praedicat versibus IV. 803 seq.

. . . . in tantum mihi luxit gratia Christi,
Versibus ut notris divinae gloria legis
Ornamenta libens caperet terrestria linguae.

Nec gloriae spes Juvencum ad exemplar optimorum gentilium poetarum inprimis Virgilii [1]) historiam evangelicam heroicis versibus describentem fefellit. Quanta enim auctoritate et vergente antiquitate et medio aevo fuerit, cum ex elogiis ab Arevalo congestis (praef. p. 11) tum ex tanto librorum manuscriptorum numero, quibus opera eius ad nos pervenerunt, colligas. Eum secuti alii singulas partes historiae sacrae heroicis versibus describebant, composuit carmen paschale historiam veteris et novi testamenti continens Sedulius, quem quasi alterum Virgilium aequales et saecula, quae secuta sunt, admirabantur et venerabantur. Juvenci et Sedulii carminibus editis gentiles poetae victi esse videbantur Isidoro, cum ambo laudibus efferret his:

Ambo pares linqua, florentes versibus ambo
Fonte evangelico pocula larga ferunt.
Desine gentilibus ergo inservisse poetis,
Dum bona tanta potes, quid tibi Callirrhoen?

Sed si quaeras, uter olim praestantior sit habitus et nunc praeferatur, Sedulius est nominandus. Nam quo maiorem operam dedit hic carmini ex veterum poetarum more recte componendo versibusque ornate fingendis, ille, ne evangeliorum verba laederet: eo magis Juvenco artificiosum opus Sedulius

[1]) Virgilii imitationem Juvencianam tractavit, non absolvit Gebserus, de Juvenci vita et scriptis etc. Jenae 1827. p. 26 seq.

perfecit ita, ut Virgilium fere gloria aequaret.[1]) Erant et qui a Sedulio poetas veteres omnes carmine superatos esse clamarent, ut ex versibus cognoscas, qui in codice Ambrosiano J. 35 insignito post epistulam ad Macedonium leguntur nondum publici iuris facti:

Scripsit Sedulius carmine nobili
Laudes, Christe, tuas gestaque caelica
Lucani similis versibus arduis.
Jam cedant (cędant cod.*) veteres: nam superat novus*
Hic, hic Sedulius carmine nobili,
Dum te, Christe, canit, optime, maxime,
Qui cum patre tenes regna perennia,
Cum sancto pariter flamine iugiter,
Cui sit laus et honor saecla per omnia."

Elogia alia multa infra congeram.

De Sedulii poetae igitur olim multum laudati nunc si non ignoti tamen neglecti vita et scriptis accuratius agere mihi proposui. Quod inceptum, non inutile ut mihi quidem videtur, periculosae plenum opus aleae est, cum lapilli tantum ad effigiem restituendam ad nos venerint iique nonnisi maximo cum studio colligantur et conectantur.

I. De vita Sedulii.

Jam in Sedulii aetate patria nominibus describendis difficultatibus obruimur sane multis, nam paucissima veterum testimonia exstant eaque non satis certa et congrua.

Nomen poetae est Sedulius, quod nomen saepius in litteris latinis nobis occurrit: apud Caesarem in commentariis de b. gall.[2]) (olim etiam in Ciceronis oratione de domo sua [3]), in inscriptionibus: cf. corp. insc. lat. II. n. 2553, a. 167 p. Ch. n.

---

[1]) Inde fortasse explicatur, cur in libris manuscriptis nonnunquam Virgilium subsequatur Sedulius (cf. Catalogue génér. des Mss. des bibl. publ. des départ. vol. I. p. 250), quae res Comparettium non fugit (cf. Virgil im Mittelalter, p. 110).

[2]) VII. 88, 4. „Sedulius, dux et princeps Lemovicum, occiditur."

[3]) c. XXX. „Sedulio principe, qui se illo die confirmat Romae non fuisse." Et paulo infra „Sedulii centum se velle e. q. s." cf. et c. XXXI. editionis Orellianae. Baiterus et Halmius e codicibus praestantioribus ediderunt „Fidulio-Fidulii".

[. . . *et Juli Seduli tesserari* . . .] Gruteri inscript. I p. 4, insc. 7. [. . . *P. Sedulius Julianus mil. leg* . . .] et p. 181, inscr. 9 [*Q. Sedulius. si Seduli maior* . . .], ap. Muratorium p. 1213 (. . . *Seduliae laetae puellae* . . . . *arrius. sedulus pater* . . . .) De Sedulio Romano grammatico refert Virgilius Maro de octo part. orat. (cf. A. Mai, auct. class. V. p. 45 seq.), de Sedulio Scotigena poeta, qui cum nostro saepe confunditur, infra agemus. Librario etiam codicis Psalmorum, qui Parisiis asservatur, nomen est Sedulius Scottus, isque ab illis, quos memoravimus, est discernendus (cf. Teuffel, R. L. G.³, p. 1121).

De nonnullis aliis eodem nomine nuncupatis conferendus est Arevalus in praefatione editionis p. 9, quibus quidem numerus presbyterum nomine Sedulii non est expletus. Sed quid eo progrediar, ut catalogum Seduliorum efficere intendam, cum mihi sufficiat demonstrasse nomen Sedulii non raro in litteris latinis inveniri.

Difficilior est quaestio, quod poetae praenomen fuerit. Indunt enim ei praenomina Caelio, Coelio, Cellio, Caecilio vel C. Caecilio, Circilio.[1]) Testimonia veterum ansam discernendae quaestionis non praebent, quippe quae nonnisi nomen „Sedulium“ omisso praenomine referant. Ad libros ergo manuscriptos fugiamus. Grunerus in praefatione editionis affirmat „quamvis Coelii praenomen in nonnullis libris omittatur, non desunt tamen praestantissimi codices, qui integrum nobis poetae nomen servarunt“. Sed valde dubito, num Gruneri haec sententia recte se habeat. In codicibus enim vetustissimis et praestantissimis Ambrosiano (saec. VII.) R. 57, et Taurinensi (saec. VII—VIII.) E. IV. 42 insignitis praenomen nullum exstat. Desideratur etiam in permultis aliis, ut commodissimum videatur libros investigare, qui praenomen aliquod Sedulii prae se ferant. Arevalus in duobus codicibus Vaticanis (Reg. 1 et Reg. 5) praenomen Caelium legit, quorum alter recentissimus fere nullius est pretii. E codicibus Sedulianis, qui Parisiis asservantur, unus (cod. lat. 14 143. s. IX.) uno loco exhibet fol. 6ª: „*Caelii Sedulii incipit pascalis carminis liber primus* . . .“; aliis locis idem liber

[1]) Hoc teste Kaysero (Beiträge zur Geschichte der Kirchenhymnen. 1868. p. 212).

praenomen illud omittit. In codicibus Anglicanis, quos descripsit nuper Zangemeisterus (Sitzungsber. d. Akad. der Wiss. in Wien 1876. B. 84, H. 3) praenominis mentio nulla fit. Equidem neque in codicibus Vindobonensibus quinque neque Mediceis duobus, quos Bandinius in catalogo III 10 describit, neque Ambrosianis quatuor recentioris aetatis, neque uno Marciano praenomen ullum inveni. At in uno Barthii codice Liberii epigramma in Sedulii laudem compositum inscribitur ita (cf. Arev. ed. p. 397) „*Liberti Acrostichis de Caelio Sedulio.*“ Integrane sit haec lectio necne, dicere non possum. Denique veteres editiones respicientes, quarum auctoritas fere eadem est ac codicum manuscriptorum, invenimus eas plerumque praenomen omittere. Cf. Jani Parrhasii editionem, quae Mediolani anno 1501 prodiit inscriptionibus his „*Sedulii carmen paschale*“ et alio loco „*Sedulii christiani poëtae c. p.*“ — vel editionem Spirensem anni eiusdem, quae incipit verbis „*Paschale quod Sedulius carmen dedit. Discipulus. Doctor legat. et monachus.*“ Quae cum ita sint, ut neque veteres auctores neque libri praestantiores — quatenus eos cognovi — certi aliquid proferant, vix adducor, ut Cellario Grunero aliis fidem habeam Caelium fuisse Sedulii praenomen. Praeterea et id monendum est cod. Vat. Reg. 1 inverso ordine Sedulium Caelium in inscriptione epistulae ad Macedonium exhibere, quo quaestio magis implicatur et dubitatio augetur. Ceterum, quamvis concesserim in his epistularum inscriptionibus [1]) poetae occasionem datam fuisse nomina edendi, valde dubitandum est, num revera scripserit duo illa nomina, analogiam similium locorum si respicimus. Cf. Eucharium ad Hilarium de laude Eremi „Domino sancto et meritis beatissimo et in Christo gloriosissimo Hilario Eucharius“.

Itaque (quod e testimoniis veterum et codicibus melioris notae colligimus) pro certo affirmari non potest Sedulii praenomen Caelium fuisse, immo dubium remanet, an sciolus ullus librarius, qui praenomen aliquod desideraverit, apposuerit illud „Caelius“ (= divinus) fortasse ea ratione ductus, qua ab aliis [2]) Sedulii nomen epitheto $\overline{\text{SC}}$ (= sanctus) sit exor-

[1]) Domino sancto ac beatissimo patri Macedonio presbytero Sedulius in Christo salutem.

[2]) Cf. cod. Par. 9347. fol. 2b . . $\overset{\text{M}}{\text{Y}}\text{NUS}$ $\overline{\text{SCI}}$ SEDVLI . . .

natum. Ceterum scripturam illius nominis magis emendatam esse per „ae“ quam per „oe“, docet Corssenus (Ueber Aussprache u. Vok. d. lat. Spr. I. p. 370).

De Sedulii patria qui egerunt (plerumque in prolegomenis editionum), in diversissimas partes abeunt. Quorum commenta et opiniones refellere non habet quidem magnam difficultatem, sed certi aliquid reponere et statuere res est multae operae ac laboris. Tamen si inquiramus in rem, fortasse nobis continget, ut controversiam probabili quodam modo decernamus. Mirandum est veteres rei litterariae ecclesiasticae scriptores nihil de poetae patria memoriae prodidisse. Casune id evenerit an quod ignorarint patriam poetae, quis hodie diiudicet? Qui primus patriae Sedulii mentionem facit, est Joannes Trithemius, rerum scriptor sane levis nec satis fidus, qui in libro de ecclesiasticis scriptoribus de Sedulio narrat haec:

„Sedulius presbyter natione Scotus. Hildeberti Scotorum Archi-Episcopi ab ineunte aetate discipulus, vir in divinis scripturis exercitatus et in secularibus litteris eruditissimus, carmine excellens et prosa, amore discendi Scotiam relinquens venit in Franciam, deinde Italiam perlustravit et Asiam postremo Achaiae finibus excedens, in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit. Scripsit autem et metro et soluta oratione plura opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta.“ Inter opuscula, quae Sedulio adscribit ille, legitur et hoc: „Epistolas plures ad diversos. lib. I. Sedulius Scotigena.“ Post opuscolorum enumerationem pergit ita „Alia quoque nonnulla edidit, quae ad notitiam meam non venerunt. Hic tandem ut Sigebertus scribit, Episcopus ordinatus fuit, sed ecclesiam vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio anno CCCCXXX.“

Trithemii de patria Sedulii sententiam secuti sunt: Usserius (cf. de Brit. eccl. prim. c. 16): „De patria sua Sedulius noster dubitare nos non sinit, quum in epistularum suarum exordio, ut ex Trithemio intelleximus Sedulium Scotigenam ipse se nuncupet eiusdemque in epistulas Paulinas adnotationes ex Fuldensi vetustatis adorandae exemplari editae, hanc inscriptionem praeferant „Sedulii Scoti Hiberniensis in omnes epistulas Pauli collectaneum“ — Fabricius (bibl. lat. med. et inf. aet. VI. p. 157), Cellarius, qui

non Scotiam, quam nunc dicimus, sed Hiberniam significari putavit, Grunerus alii. Ne multa! Fallitur et fallit Trithemius, cum Sedulium Scotigenam esse affirmet. Nam quae in Sedulium nostrum confert, maxime referenda sunt ad Sedulium illum, quem Dicuilius Scotus [1] (c. ann. 825) memorat et qui saeculo nono floruit. Hic auctor est et illius operis, quod dicit Trithemius „Epistolas plures ad diversos lib. I Sedulius Scotigena“, et aliorum ut carminum variorum, quae e codice Bruxellensi ediderunt Aem. Grossius (Regim. 1868) et Ern. Duemmlerus (Sedulii Scotti carmina quadraginta. Hal. Sax. 1869). Longe aliam viam demonstrandi Sedulium Scotigenam fuisse ingressus est Casp. Barthius, qui ex poetae carmine paschali aliquid proficere posse sibi videbatur. De hac re fusius nos disputare oportet. Lib. I. v. 17 seq. leguntur haec:

Quum sua gentiles studeant figmenta poetae
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu,
Ridiculove Getae, seu qualibet arte canendi
Saeva nefandarum renovent contagia rerum,

et q. s.

Sic ex editione Arevali et aliorum. Cellarius Grunerus Arntzenius scribunt v. 19. „Ridiculove Geta“, quam lectionem iam diserte defenderat Jo. Frid. Gronovius, Obs. in eccles. script. c. 2. p. 29. In editionibus veteribus plerumque „ridiculo vegete“ ut in codicibus deterioris notae legitur. Inquiramus, quae lectio accipienda sit. Lectionem „ridiculo vegete“ eamque deteriorum codicum stare non posse facile ex versuum tenore colligitur et causa corruptelae patet. Nesciebat enim librarius nomen illud Getae itaque verba male dirimebat. E codicibus Vaticanis Arevalus edidit „ridiculove Getae“ ita, ut tragico boatui opponeretur ridiculus Getae. Haec non ex sententia Sedulii esse demonstrat eiusdem paraphrasis prosaica, ubi leguntur. „Quum poetarum studiosa consuetudo gentilium fabulosas carminis nugas nobilium commendet pompa verborum et sive clamoribus cothurnatae tragoediae seu ridiculi Getae comica foeditate, vel quibus-

[1]) De mens. p. 13: „... Virgilii, quem in talibus causis noster simulavit Sedulius ....“

libet metricae numeris disciplinae priscorum scelerata temporum gesta . . . .“ Genuinam lectionem, quae est „ridiculove Geta“ praebere mihi quidem videtur codex antiquissimus Taurinensis, quem contuli, venerandae aetatis cod. Vind. 307 alii. Hanc meam opinionem comprobant et Aldhelmi verba, quae cum ad quaestionem, quam tractamus absolvendam multum valeant, integra adscribo (de re gramm. et metrica ap. A. Mai. auct. cl. V. p. 574 seq.) „grandisonus, ut poeta (Sedulius) Grandisonis pompare modis tragicoque boatu ridiculove Geta . . . Quem versum imperiti et metricae artis ignari obtunsaque mentis acrimonia freti satis turpiter interpretantur — vegeta — quasi sub una orationis adserentes parte et pendeat sensus de praelato nomine neutrali id est figmenta, quod nec scandendi ratio nec syllabarum regula consentit; siquidem — ve — coniunctio est disiunctiva, Geta vero principale et primitivum est, unde Terentius Afer in Phormione sic ait — amicus summus meus et popularis Geta heri ad me venit (v. 35.). Et infra — Geta provinciam cepisti duram —. Quid si — vegeta — neutrale nomen esset accusativo plurali, heroicae versificationis regula vacillaret, quia semper neutra in plurali corripiunt a in nominativo accusativo et vocativo ut „arma virumque“. Ergo non est — vegeta — accusativus pluralis, sed Geta ablativus singularis, qui semper in prima declinatione a producit.“ Itaque recte sentiunt, qui Getae nomen a comoedia mutuari et loco illo tragoediam opponi comoediae affirment. Consentit et glossa, quae legitur in quaestionibus grammaticis cod. Bernensis 83 ab Hermanno Hageno (Anecd. Helv. p. 186, 26) editis: „ridiculus“ mobile est et adiectivum ut . . . . „ridiculum responsum“ „ridiculo Geta“ quasi ridiculo scurra [1]“. De loco illo Seduliano, quomodo sit sensu percipiendus et fortasse edendus satis est dictum [2]). Restat, ut proprius accedamus ad Barthii de Se-

[1]) De ridiculo Getae persona apud Latinos conferendus est etiam Ovidius, Art. am. III 331—3 M.

Nota sit et Sappho, . . quid enim lascivius illa?
Cuive pater vafri luditur arte Getae.

[2]) Ablativi usum singularem (pompare ridiculo Geta) excusari loco Horatiano collato Sat. I. 10, 40 s.

Arguta meretice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos . . .

benigne me docuit magister doctissimus E. Hoffmannus.

dulii patria commentum. Nomen illud Getae alii aliter ac nos interpretati sunt [1]) ut Barthius, qui illo loco de Geta ridiculo quodam deo vetustissimorum Britannorum vult cogitari. Dicit enim Advers. c. XXVII. 14. interpretatione Getae ut personae comoediae reiecta: „At omnem difficultatem tollunt scriptores rerum Anglicarum, qui vetustissimis Britannis Getam nomen ridiculi cuiusdem dei fuisse scribunt, inprimis Asserius in vita Aelfredi, qui et genealogiam eius ponit et vatis Scoti carmina producit, Scoti dico, ut notatas superstitiones barbaricarum nationum a conterraneo magis credas?“ Sed nusquam apud scriptores rerum Anglicarum legitur de „ridiculo“ quodam deo Geta, quod adiectivum ex ipso Sedulio Barthius deo illi adiecit. Nennius (s. VII.) in historia Britonum de Geta narrat haec §. 31. „Geta, qui fuit, ut aiunt, filius dei. Non ipse deus deorum Amen, deus exercituum, sed unus est ab idolis eorum, quae ipsi colebant.“ Et in genealogià, quam prodit Asserius Menevensis (de rebus gestis Aelfredi, rec. T. Wise Ox. 1722. p. 1.) legimus: „Aelfrid, rex filius Aethelwulfi regis, qui fuit Egberthi, qui fuit Ealhmundi, qui fuit Eafa, qui fuit Eowwa, qui fuit Ingild et Ine .... qui fuit Trithuwulf, qui fuit Fingodwulf, qui fuit Geata, quem Getam iamdudum pagani pro deo venerabantur: (cuius Sedulius poeta mentionem fecit in paschali metrico carmine ita dicens: Cum sua gentiles studeant figmenta poetae Grandisonis pompare modis tragicoque boatu Ridiculove Getae“ et q. s. usque ad v. 26. Eadem iisdem verbis de Geta narrant Joannes Wallingford (de Alfredo primo monarcha, ap. Gale I, p. 535); Florentius, Simeon Dun., Matthaeus Westmonasteriensis (addito: cuius Sedulius poeta eximius, in paschali carmine mentionem faciens, exorsus est e. q. s.); eadem insunt in genealogia anglosaxonica (cf. Kemble, Sachs. I, 370). Ergo de „ridiculo“ Geta nihil legimus et, si poeta vetustum illum Britannorum deum

[1]) In vetere quodam glossario edito ab A. Mai. auct. cl. VI. p. 525 est glossa:

Geta: Gothus peritus
Getae: Gothi

et in cod. Vind. 2171, qui „glosas de verborum Sedulii“ continet, legitur g&a: gothi.

denotaturus erat, quomodo locum interpretemur? Asserius, inscius ille Getae comici, in similitudine acquievit nominis, quod voci Géatae consonat. Ceterum censeo Asserium, si de Sedulio conterraneo cogitasset, (ut Barthius vult) „Sedulius noster“ dicturum fuisse (cf. supra, p. 12, Dicuilii monachi verba). Sed cavit hanc dictionem, ne Sedulium carminis paschalis auctorem cum Sedulio Scoto non multum aetate antecedente confunderet. Quae cum ita sint, Barthio non concedimus ex rerum Anglicarum scriptoribus inprimis Asserio colligi posse Sedulium nostrum vatem Scotum fuisse.

Quae tandem est Sedulii patria? Hispaniam fuisse patriam chronicon Pseudo-Dextri ad a. 428 tradit „Faetadio Pontifici Toletano succedit Isicius monachus Palaestinus, qui Sedulium amicum suum et Oretanum episcopum praedicationis gratia Toleti detinet, qui dono dei in poesi oratoriaque praeclarus multos libros componit“. Hanc narrationem falsa continere iam Nic. Antonius docuit (bibl. vet. Hisp. l. III. 5). „Proclivis sum, ut credam episcopali munere in Hispania tributo, Hispanos quoque natales subindicare voluisse auctorem. Sed tam falsum est ortum apud nos Sedulium, quam episcopum alicubi fuisse.“ Neque verisimile est, Hispanus si Sedulius fuisset, Ildephonsum in libello „de viris illustribus“ eum praetermissurum fuisse. Itaque aliorum de Sedulii patria opinionibus reiectis inquiramus possintne certiora et probabiliora proferri necne. Exstant sane pauca veterum testimonia, quae materiam praebeant Sedulii patriam investigandi. Horum sunt duo genera: unum, quod testimonia ex operibus quorundam auctorum exarata, alterum, quod glossas codicum ad vitam et poesin Sedulii pertinentes continet. Editores fere omnes, qui Sedulii codices contulere, de talibus testimoniis referunt, sed nemo iis auctoritatem attribuit. Equidem nuper in ann. gymn. Austriac. 1876, p. 500 seq. uberius harum glossarum specimen e cod. Vind. 85 edidi ibique ostendisse mihi videor testimoniis iis fidem esse habendam eaque esse digna, quae respiciantur et in quaestionem vocentur. Eadem fere quae in cod. Vind. 85, etiam in cod. Laur. 15. plut. XXIII leguntur. Talia fragmenta investigans, Venetiis cum versabar, in bibliotheca Marciana forte (nam Valentinellii catalogus mihi certus dux non erat)

in codicem (saec. XII.) cl. XII. cod. VII. incidi, qui nova praeterea, quae aliis libris continentur, mihi praebuit. In hoc codice post epistulam I. ad Macedonium litteris minutioribus scripta sequuntur haec:

„*Sedulius primo laicus in Italia didicit philosophiam. Genere etiam italicus fuit. Postea metrum heroicum consulente Macedonio [petente] docuit. Scripsit autem hos libros in Achaia tempore Valentiniani et Theodosii. Possumus hic VII considerare: Quis, quid, cur, quando, ubi, quibus facultatibus i. e. tempus, locus et persona, res, causa, qualitas, facultas. Quis fecit? Sedulius. Quid fecit? Paschale carmen, quod . . . de veteri et novo testamento. Cur fecit? Quia videbat, quod pauci essent, qui de humanitate et incarnatione salvatoris metrico opere aliquod opus facerent. Quomodo fecit? Metrico stilo, non prosaice. Quando fecit? Tempore videlicet Theodosii et Valentiniani. Ubi fecit? In Achaia. Quibus facultatibus? Eorum quos imitatus est. Tres (?) sunt, a quibus incipere solet omnis oratio, aut enim benevolos aut dociles aut attentos [aut] auditores debet afficere. Metra et carmina a multis rebus sumunt vocabula: a numero, a pedibus, ab inventoribus, a frequentatoribus. Ab epo* (ἐπ), *sicut epicum, heroum enim, hoc est, virorum fortium. Heram* (sic) *enim antiqui terram dicebant. A numero pedum, sicut* (?) *examinetur a pedibus sicut dactylicum. Ab inventoribus, sicut sapphicum, a Sappho enim quadam femina dictum sapphicum carmen. A frequentatoribus, sicut sotadicum . . . . ut ipse sic vocatus sit, sed quod eo carmine frequenter usus sit; anacreontium, a quodam homine, qui dictus est Anacreon.*“

In hoc fragmento res diversissimas tractari atque quasdam nullius fere pretii, nemo non videt. At ea, quae ad vitam Sedulii pertinent, valde sunt respicienda; nam ea fidum ac praestantem habere auctorem paulo infra multis docebo. Coniungitur cum his novum illud indicium genere Sedulium italicum fuisse. Sane dolendum est nos ignorare, e quo fonte hauserit is, qui scripsit; sed ex eo non conficitur, ut rei fides non habeatur. Attamen accedunt alia, quae opinionem nostram

---

[1]) Codicis lectiones: 1 *italiâ.* 2 *eroicû.* 4 *theodosio.* 9 *metrica.* 10 *ipse* (ex *tpe*) *videlicet theodosii & valentiniani.* 13 *oracio.* 13 *benivoles.* 15 *apeb.* 16 *sic* (semper). 17 *terra, pediû.* 18 *dactilicum.* 18 *saphicû.* 19 *sapho.* 19 *quedâ, saphicû.* 20 *sod'aicû.* 21 *nomine.* 22 *e.*

Italiam Sedulii patriam fuisse firmant. Aldhelmus in carmine [1]), quod nuper edidit Jaffeus (Mon. Mog. p. 41 seq.) de Sedulio dicit haec (v. 3 s.):

quemadmodum mellificis heroicorum versibus
inlustris quondam poeta Romae urbis indigena,
stili calamo stridulo caraxante persedulo,
sacris inserit scedulis doctiloquus Sedulius;

Hi Aldhelmi versus, si recte interpretamur, etiam urbem, in qua poeta natus sit, indicant. Eius autem auctoritas tanta est, ut verba in dubium vocare non liceat, praesertim cum modico intervallo distet a Seduliana aetate. Denique in Trithemii vita Sedulii, quem quidem nostrum et Sedulium iuniorem, Scotum dico, confundisse supra diximus, legimus: „postremo Achaiae finibus excedens in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit". Haec, cum Sedulium iuniorem patria Hibernia relicta in Franciam delatum esse ibique in monasterio s. Lamberti-Leodii degisse et commoratum esse e carminibus eius eluceat, ad nostrum referenda esse opinor, quem etiam in Achaia fuisse, infra docebimus. Itaque ex testimoniis, quae attulimus, Sedulium et Romae natum et postea doctrina ibi clarum habitum esse, fortasse recte concludimus.

At dicat aliquis testimoniis adhibitis meam de Sedulii patria opinionem non evinci. Concesserim, si demonstretur illorum auctoritatem esse nullam, et si quis graviora et probabiliora illis in medium proferat; sed vereor ut fiat. Pergamus ad alia.

De tempore, quo Sedulius floruerit, non minor est dubitatio. Atque tanta est opinionum discrepantia, ut alii saeculo quarto, alii quinto, intra annos 377 et 494 p. Chr. n. poetam vixisse contendant. Nonnullorum opiniones proponere et considerare iam liceat inprimis scriptorum rei litterariae recentiorum. Teuffelius Sedulium sub finem saeculi V. vixisse et scripsisse affirmat argumentatus ita (R. L. G.³ p. 1119): Die Zeit des Sedulius wird bestimmt dadurch, dass derselbe ein Freund des Asterius, Cos. 494 gewesen zu sein scheint und von Gennadius nicht aufgeführt wird, wohl aber erwähnt von Venantius Fortunatus, Isidor und Cassiodor." Inquiramus, num Teuffelii

[1]) Incipit carmen Al. Cod. Vind.

ratiocinatio comprobetur. Sedulium amicum Asterii consulis a. 494 eiusdem, qui Virgilii opera recensuit[1]), fuisse colligit e subscriptione quadam insigni, quae legitur in codicibus Sedulianis pluribus, ut infra fusius exponam, talis:

„*Hoc opus Sedulius inter cartulas dispersum reliquit, quod recollectum adunatum atque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio v. c. consule*[2]) *ordinario atque patricio.*"

Sequitur nonnunquam epigramma eiusdem cf. infra p. 35. In his verbo quidem nullo indicatur Sedulium Asterii amicum et aequalem fuisse, at Teuffelius hanc ob rem de amicitia cogitasse videtur, quod ille Sedulii carmina collegit et divulgavit. Num certi quicquam de amicitia inde efficitur? Mihi quidem non persuadetur, cum dubium sit, utrum Asterius suo arbitrio an iussu[3]) vel rogatu cuiusdam carmina collegerit et divulgaverit. Idem de Virgilio meritus est, quamquam nulli in mentem venit eum Virgilii amicum fuisse. Graviore argumento, quo suam opinionem firmaret. usus est Teuffelius eo, quod in Gennadii libro illo „de viris illustribus" nihil de Sedulio legitur. Sane in Gennadii libris usque adhuc typis descriptis, quos in manibus habemus, Sedulii mentio non fit, sed sunt, qui affirment in integris Gennadii exemplaribus mss. quaedam de Sedulio inveniri, ut Sirmondus ad Ennod. I ep. 24. et R. Ceillier (hist. gen. X. p. 631. s. On lit aussi dans quelques anciens exemplairs de Gennade, que Sedulius mourut sous le règne de ces mêmes Princes.). Quae cum ita sint, maxime dolendum est, quod illi viri docti Gennadii verba integra nobis inviderunt. Sed inquiramus in Gennadii librum paulum a proposito declinantes. Fortasse alia via potest demonstrari Gennadii illum librum (qualem nunc habemus) esse mancum.

Qui e codicibus optimis inprimis e codice „revera antiquissimo atque emendatissimo" Veronensi Gennadii opus multa cum laude recensuit et emendavit, est Dom. Vallarsius in

---

[1]) Cf. subscriptionem cod. Med. ap. Ribbeckium, prol. crit. p. 222.

[2]) vel „*exconsule*", cf. infra p. 31 s.

[3]) cf. Asterii verba in subscriptione cod. Med.
„*Distinxi emendans gratum mihi munus amici*
suscipiens, operi sedulus incubui
tempore quo . . . ."

S. Eusebii Hieronymi Stridonensis operum editione tom. II. (Veronae 1735). Adnexuit enim Hieronymi libro „de viris illustribus“ Gennadii opus eiusdem inscriptionis. Incipit liber a vita Jacobi et centum capitibus tot virorum illustrium vitas conficit. Ultima vita ex hac recensione Gennadii ipsius est. Equidem duos codices Gennadii, qui in bibliotheca palatina Vindobonensi asservantur, in meum usum contuli; horum alter n. 16 (dico Vind. 1) saeculi VIII., alter n. 138 (dico Vind. 2) saeculi XV. est. Apparet auctoritatem codicis Vind. 1 idem valere ac Veronensis, quem eiusdem saeculi esse Reifferscheidius auctor est. Subsidiis Gennadiani operis recte aestimandi ita auctis inquiramus, utrum numerus ille centum vitarum integer sit, an plures paucioresve olim fuisse recte statuamus. Cod. Vind. 1 incipit ab opere Hieronymi „de viris illustribus“, quod duplicem inscriptionem prae se fert: *„Incipit series illustriū scī hieronimi prbī“* et supra alia manu scriptum est: *„Incipit series virorū illustriū.“* Singulis nominibus auctorum, qui tractantur, numerus est adpositus. Numerantur autem 135 nomina et vitae, quorum ultima est Hieronymi. Subscriptio sequitur haec: *huc usq; beatus hieronymus q̄ seqnr scī gennadii prbī ecclesie massilie opera st̄ ut aiunt q eum viderunt.* Sequitur vita Jacobi.

Conferamus cum his, quae e codicibus mss. sunt exarata Notkeri Balbuli verba, de interpret. div. script. (ap. Pezium, thes. anecd. I, p. 7 cap. 9): „Si tamen antiquos auctores nosse volueris, lege librum beati Hieronymi de illustribus viris a S. Petro usque ad se ipsum et Gennadii, Toletani episcopi, ab Ambrosio usque ad eundem Gennadium.“ Cum appareat de Gennadio agi, qui Hieronymi opus quasi continuavit, difficultas oboritur in epitheto „Toletani episcopi“. Affirmat Ebertus (L. G. d. M. p. 426 ann.) errorem Balbuli subesse, qui epitheton Ildephonsi Gennadio falso attribuerit, cum Arevalus coniciat Notkerum antistitem Toletanum sibi finxisse Gennadium. Utut haec sunt, offendunt magis verba „ab Ambrosio usque ad eundem Gennadium“ — nam codices et editiones ut supra demonstratum est, ab Jacobi vita incipiunt. Accedit, ut mirum esse videatur Ambrosium episcopum illum Mediolanensem in Gennadiano opere omitti. Quae cum ita sint, rectene de integritate Gennadiani operis dubitamus

annon? Recte, ut opinor, cum non sit, quod Notkeri verba in dubitationem vocemus. Sed respiciamus alia. In codice Vind. 1 post vitam Johannis (c. 93 ed. Vall.), cui adpictus est numerus CCXXVI, leguntur:

explicit illustriū virorū

eadem manu scriptae sequuntur vitae Honorati (CCXXVII), Cerealis (CCXXVIII), Eugenii (CCXXVIIII), Pomerii (CCXXX). Subsequitur litteris in maius diductis et alio atramento scripta annotatio haec: „*Item in alio exemplari reperimus hoc modo CCXXVI. iohannes anthiocensis parrochiae ex gᵃmmatico prb. erl. usq. ex tempore declamator et sic postea sequitur CCXXVIII gelasius . . . . CCXXX Ego gennadius . . . .*
VIIII
epm urbis romae explt."

Eandem subscriptionem, quam cod. Vind. 1 post vitam Johannis, habet etiam cod. Cisterc. (cf. Vallarsii ann. a. l.) Seriem auctorum eodem loco absolvit Vind. 2 his:

„*Explicit liber sancti Gennadii massiliensis epi de illustribus viris.*"

Accedit, quod Honorius Augustodunensis (c. a. 1120) script. eccl. in libro secundo e Gennadio repetito sub finem habet haec capita: c. 92 Johannes, c. 93 Gelasius, c. 94 Honoratus, c. 95 Cerealis, c. 96 Eusebius, c. 97 Gennadius.

En respicias, quanta sit codicum discrepantia in extrema parte illius operis. Ex uno cod. Vind. 1 colligi licet librarium plura et diversa exemplaria ante oculos habuisse. Cui libro maxima fides sit habenda, arte critica nondum constitutum est. Verum id mihi certum esse videtur non posse cum Eberto aliisque affirmari capita postrema haud dubie Gennadio esse abiudicanda Equidem Notkeri verbis fidem habeo Gennadium seriem auctorum usque ad se ipsum continuasse Hieronymi exemplum et in hac re secutum. Praeterea vitae Gelasii, Honorati, Cerealis, Eusebii (?), Gennadii etiam in Honorii opere citato inveniuntur. Si autem opus vita Gennadii finitur, utrum vitas Honorati, Cerealis, Eugenii, Pomerii, quae in quibusdam codicibus legantur, spurias esse an easdem in aliis libris intercidisse statuamus?

At non solum in prima et extrema parte operis tales difficultates insunt, sed etiam in aliis. Vita Sidonii (c. 92) et

vita Caesaris (c. 86) in codd. Vind. ut in plerisque libris mss. Vallarsii desunt, quamquam Honorium easdem (cf. II c. 85, 91) e Gennadio repetiisse verisimillimum est. Contra reputandum est Aviti vitam (c. 47 Vall.), quae in omnibus codicibus, de quibus sermonem instituimus, legitur, in Honorii libro desiderari. Quae cum ita sint, quid denique in nostram partem proficimus? Bona fide affirmari posse Gennadii opus, quod nunc habemus, integrum non esse et Sirmondo fidem esse habendam asseveranti se in „integro exemplari Gennadii quaedam ad Sedulium pertinentia legisse“. Opponat aliquis et in Honorii ex Gennadio excerpto libro nihil de Sedulio contineri. Concedo, sed iam supra monitum est etiam Aviti vitam, quae apud Gennadium legitur, in Honorii libro desiderari. Ceterum in hanc rem accuratius inquirat alius. Mihi quidem sufficit demonstrasse de Gennadiani illius libri integritate hodie recte dubitari.

His ita constitutis consideremus subscriptionem, quae in codicibus Sedulianis permultis invenitur. Equidem inter alia eam descripsi e codice Vind. 85 et in ann. gymn. Austr. edidi (1876 p. 501) sic:

II. Qui (Sedulius) primo laicus in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum Macedonio consulente docuit. In Achaia libros suos scripsit tempore imperatorum minoris Theodosii, filii Arcadii et Valentiniani, filii Constanti(n)i. Sicut in catalogo illustrium reperimus, quem beatus Hieronymus inchoavit, Paterius vero discipulus eius perfecit.

Idem fere [1]) legi in cod. Laur. 15. plut. XXIII. mendose scripto; invenitur et in aliis ut in cod. Almeloveeniano teste Arntzenio *„Sedulius versificus, primo Laicus in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrum eroicum Macedonio csulante in Achaia libros suos scripsit in tempore Valentini & Theodosii“* — in cod. Par. 14 143, s. IX. lectionum dis-

———

[1]) *„Denique ipse sedulius primum laicus in italia philologium didicit: postea cum aliis gentibus heroicum metrum macedonium consule condidit atq. in achaia libros suos scripsit tempore imperatorum minoris theodosii . . . .*

crepantiis his „. . . . *metrorum* *ʰeroicu* . . . . *consulante* . . . . *in tempore valentiniani et theodosii*“ — in cod. Par. 9347, s. IX. „*Hieronimus in chathalogo Sedulius versificus* . . . *consulante* . . . . *in tempore valentiniani et theodosii*“ — in cod. Par. 13 377, s. IX. „*Hieronimus in cathalogo*“.

Sedulius versificus . . . . *metr|o|rum eroicum* . . . . *consulante* . . . . *in tempore valentiniani et theodosii.*

Ad Hieronymum haec verba referuntur etiam in cod. Vat. Reg. 1 Arevalo auctore praef. 3. „*Hieronymus in catalogo scriptorum dicit: Sedulius* . . . .“ Discrepat paulum cod. Britannicus Usseri „*Sedulius* . . . . *consociis heroicum metrum* . . . *didicit* . . . . *libros conscripsit tempore Theodosii et Valentiniani.*“ Cum hoc facit ex parte cod. Vind. 85 (cf. Ann. gymn. Austr. p. 502). Ne plura![1]) Lectionum varietates modo prolatas consideranti mihi genuina verba haec esse videntur: Sedulius versificus primo laicus in Italia philosophiam didicit; postea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum Macedonio consulente docuit. In Achaia libros suos scripsit tempore imperatorum, Theodosii et Valentiniani.

En habemus vitam quandam Sedulii, cuius auctor in codd. Par. 9347 et 13 377, Vat. Reg. 1 Hieronymus nuncupatur. In quo error deprenditur, nam ille Sedulii, qui post Hieronymum libros suos scripsisset, meminisse non potuit. Sed error facile explicatur eo, quod Hieronymi et Gennadii opera „de viris illustribus“ saepe in libris comprehenduntur quasi in unum Hieronymi.[2]) Accuratior est subscriptio codd. Vind. 85 et Laur. „. . . . in catalogo illustrium“ . . . . quem beatus Hieronymus inchoavit, paterius vero discipulus eius perfecit.“ Neminem fugit hoc loco de Gennadio cogitandum esse, qui Hieronymi catalogum illustrium quasi continuarit et perfecerit. Ob eandem causam discipulus Hieronymi dicitur, quamquam non fuit. Sed, quid de nomine, ut videtur, paterii statuamus? Haereo, nescimus enim hodie, num cui ex Hieronymi discipulis paterio nomen fuerit; neque musae renuunt

---

[1]) Cf. etiam cod. Marc. supra laudatum, Pithoeanum alios.

[2]) Cf. supra Genn. cod. Vind. 1 et de cod. Veronensi Reifferscheidii patr. ital. (Sitz.-Ber. der Ak. d. Wiss. Wien, B. 49, p. 9.)

de loci integritate dubitari. [1]) Ceterum ea verba, quae Gennadii esse affirmamus, a Gennadiano genere dicendi non abhorrere, quivis concedet in scriptis illius aliquantum versatus.

Itaque ut revertamur, unde digressi sumus, Teuffelii ratiocinatio Gennadii illo opere nisa, nobis non probatur, immo bona fide affirmamus vitam Sedulii e codicibus repetitam illam Gennadium auctorem habere. Illud addo etiam Norisium de Cenot. Pis. quamquam aliis argumentis ductum collegisse Sedulium circa annum 494 vel paucis ante annis et scribendi et vivendi finem fecisse. Hac Teuffelii Norisii aliorum opinione missa inquiramus in aliorum prorsus diversam sententiam, qui contendunt, saeculo quarto Sedulium floruisse, ut Sigebertus Gemblacensis de script. eccles. „Claruit tempore Constantis et Constantii, filiorum primi Constantini Imperatoris." Sed errat Sigebertus ut saepe; nullo alio testimonio haec sententia probatur. Sunt etiam, qui Sedulium tempore Theodosii Magni vixisse putent, Trithemium scilicet secuti, qui in catalogo scriptorum Sedulii laudat opus „Ad Theodosium imperatorem lib. I. Romulidum ductor clar. . . ." Ex verbis quae sequuntur „Claruit sub Theodosio anno CCCCXXX" satis patet Trithemium ipsum non de Theodosio Magno cogitasse. Ne multa! paulo infra demonstrabimus opus illud omnino non Sedulio adscribendum esse.

Opinionibus quasi inter se contrariis reiectis accedamus ad eam, quae est fere media interposita: Sedulium saeculi quinti priore parte floruisse. Huius opinionis acerrimus denfensor exstitit nuper Ebertus in hist. litt. med. aevi p. 358. Sed causas, quibus opinionem suam defendit, vix probabiles esse, iam Teuffelius (R L G[3] p. 1171) affirmavit. Equidem eas accuratius examinavi et ex parte reieci in ann. gym. Austr. 1876. p. 503 s. Restat, ut meam de hac re sententiam proferam. Puto tempore imperatorum minoris Theodosii, filii Arcadii et Valentiani, filii Constantii Sedulium floruisse, quod ex verbis illis Gennadio adscriptis et indiciis codicum nonnullorum (cf. supra p. 16) colligitur. Ad nostram opinionem quadrant etiam Trithemii

---

[1]) Fortasse sic emendandum est: „posterius vero discipulus eius (sc. Gennadius) perfecit."

verba: ‚Claruit sub Theodosio anno CCCCXXX‘, quamvis in hanc opinionem inclinem poetam sub finem imperii illorum inclaruisse. Ut autem aetatem Sedulii certis finibus circumscribamus, hac via fieri non potest. Sed inquiramus ex operibus eius numquid ad quaestionem decernendam proficiatur. Hanc viam ingressus est Aldus Manutius, qui in editione ann. 1501 disserit ita p. 2. „de divo Hieronymo mentionem facit (Sed.) in hunc modum: nec Hieronymi divinae legis interpretis et caelestis bibliothecae cultoris exemplar pudeat imitari — puto Hieronymum et Sedulium iisdem fuisse temporibus, ita tamen, ut non Hieronymus de Sedulio in libro de viris illustribus scribere potuerit, nec Iuvenci libros vel loci distantia vel aliquo impedimento Sedulius viderit.“ Sunt sane in epistula dedicatoria I. ad Macedonium, quae ansam praebere videantur aetatis Sedulii accuratius describendae — sed quis ex illis Hieronymi verbis recte colligat, Hieronymum aequalem Sedulii fuisse, cum nihil aliud contineant atque „Hieronymi exemplar imitari non esse pudendum“ — vivi tum an mortui, quid interest vel quis decernat. Magis respicienda sunt haec. In eadem epistula praedicat Sedulius eximiam virginem et diaconissam[1]) Syncleticam[2]) nomine eamque laudibus exornat, qualibus Hieronymus Marcellam (cf. Ep. 127). Ambigunt viri docti de qua Syncletica Sedulius cogitarit, cum plures eximiae virgines sic nominatae sint cognitae (cf. Boll. d. V. Jan.). Mihi non diversa esse videtur a Syncletica, sorore Eustathii, qui Basilii Hexaëmeron in latinum convertit, haec praecipue comparanti

Sed.	Eustath.
... Scripturas etiam ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut nisi sexus licentia defuisset, posset etiam edocere, licet in membris feminei corporis animus sit virilis.	Eustathius Syncleticae Germanae diaconissae salutem in Christo. Religiosus, simulque studiosus animus tuae germanitatis, dum plenitudinem caelestium nosse desiderat scripturarum, cunctas bibliothecas ecclesiasticas, et earum qui fuerint conditores, crebris lectionibus investigans pervenit tandem ad Hexaëmeron.

[1]) In codice Vind. 85 supra verbum „ministrae“ est glossa „diaconissae“.

[2]) De scripturae variantiis cf. editiones. Praeterea cod. Taur. *sinclyticis*; Vind. 307 et 85, Marc. *sincleticis*.

Eustathium illum initio saeculi quinti floruisse auctor est Cassiodorius. Itaque Syncleticam sororem eius, tempore imperatorum Theodosii et Valentiani claruisse verisimile est. Quae, si non fallunt, confirmant nostram de Sedulii aetate opinionem[1]). Praeter Hieronymum et Syncleticam commemorat Sedulius in eadem epistula Ursinum antistitem, Laurentium, Gallicanum (Cod. Taur. *Gallianum* m. 1, *Gallienum* corr. m. 2). Ursicinum (Cod. T. *Ursini, ci* in marg. adi. m. 2) presbyteros, Felicem quendam, de quibus non aliam sententiam dicere audeo atque in eadem ecclesia vel provincia qua Macedonium floruisse. Neque de Macedonio illo, ad quem Sedulius libros suos misit et quem „sanctum ac beatissimum dominum" nuncupat atque magistrum[2]) quicquam traditum est, quod valeat ad quaestiones Sedulianas decernendas.

De Sedulii aetate hactenus. De parentibus, quibus ortus, de magistris, a quibus in litteris profanis institutus sit poeta, nihil ad nos pervenit. At ex operibus eius apparet studiis saecularibus, quae tum dicebantur, eum operam dedisse quam maximam. Ipse enim in epistula ad Macedonium de sua litterariae disciplinae sollertia dicit, qua „lusibus infructuosi operis,

---

[1]) Utrum Sedulius in illa Syncleticae laude auctorem quendam secutus sit necne, ignoro; sed notandum est in vita Syncleticae, quae est inter spuria scripta Basilii fere eadem iisdem verbis enarrari. Velim conferas haec:

Bas.	Sed.
c. 15. οὐδὲ γὰρ κήρυκας τῶν αὐτῆς ἀνδραγαθημάτων ἤθελεν εἶναι τοὺς παρόντας. Οὐχ οὕτως γὰρ τὸ εὖ πράττειν ἐφρόντιζεν, ὅσον τῆς τούτου φυλακῆς τε καὶ κρυβῆς.	De quotidianae vero misericordiae dispensatione reticeo, quam sic exercet, ut sileat; sic largitur, ut lateat.
c. 21. ἐκ γὰρ τῆς σοφίας κρατήρων ηὐφραίνοντο· ἦν δὲ αὐταῖς οἰνοχοοῦσα τὸ θεῖον πόμα καὶ νᾶμα ἡ μακαρία Συγκλητική.	Scripturas etiam ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut, nisi sexus licentia defuisset, posset etiam edocere, licet in membris feminei corporis animus sit virilis.
c. 112. γυναῖκα ὑρῶν κατεφρόνει· ἠγνόει γὰρ αὐτῆς τὸ ἀνδρεῖον φρόνημα.	
c. 17. τὰς μὲν γὰρ ἀκανθώδεις τῆς διανοίας ἐκφύσεις ἀφῃρεῖτο διά τε τῆς νηστείας καὶ τῆς προςευχῆς.	Veredignum . . . templum ieiuniis castigatum orationibus refectum. . .

[2]) Epist. I. Angebar rursus alia animi procella turbati et aegros anhelitus illa mihi ratio saepe commovebat, qua me noveram vel tua, pater beatissime, vel aliorum, quos gratia similiter caelestis illustrat, quiddam profecisse doctrina.

non deo servierit; de mundana sapientia, de fatuo prudentiae mortalis ingenio suo.“ „Secularibus studiis se occupatum fuisse“, donec caelestis gratia ipsum illustrarit, docet in eadem epistula. In gentilibus poetis eum perfectum fuisse, cognoscas etiam ex versibus prologi metrici, cum de principatu cum iis contenturus sit, qui in comoediis vel tragoediis

Saeva nefandarum renovent contagia rerum,
Et scelerum monumenta canant, rituque magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis.

Sed magis ex operibus quam verbis ipsius colligitur, quantopere in disciplinis et saecularibus et ecclesiasticis institutus fuerit. Non inepte interrogantibus, quibus facultatibus carmen paschale composuerit, in codicibus nonnullis (cf. supra p. 16) respondetur „Eorum, quos imitatus est.“ Virgilii inprimis vestigia pressit, quod infra fusius demonstrabimus, sed et aliorum ut Ovidii, Tibulli, Lucani . . . (cf. commentatores). Quorum profanorum poetarum imitator exstitit non solum in verbis componendis versibusque fingendis, sed etiam in rebus tractandis. Praeclare Terentium secutus est in epistula ad Macedonium altera, cum a calumniatoribus se defensurus est; ea enim ratione eosdem repellit qua Terentius in prologo ad Andriam malivolos poetas.

Praestat locos illos conferre.

Terentius.	Sedulius.
v. 15. *Id isti vituperant factum atque in eo disputant Contaminari non decere fabulas. Faciuntne intelligendo, ut nil intellegant? Qui quom hunc accusant, Naevium Plautum Ennium. Accusant, quos hic noster auctores habet.*	Siqui tamen istud obiciant faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant. Nam si seculares litteras assecuti, aut divinis videbuntur libris instructi, debent exempla veterum recensere, ne similia lacerare conentur iniuste.
v. 11. *non ita sunt dissimili argumento, sed tamen Dissimili ratione sunt factae ac stilo.*	Nec impares argumento vel ordine, sed stilo videntur et oratione dissimiles.

Plauti et Terentii exemplum secutus vocem „peniculus“ pro „spongia“ adhibuit Sedulius [1]), ex Plauti [2]) auctoritate

[1]) C. p. V 255 *Peniculo infusum calamo porrexit acetum.* Opus p. „unus de plebe saevissima spongiam calamo nexuit et acetum eius ori porrexit“.

[2]) Cf. Curculio II. 1, 13 *ad praesepem suam*, Rud. IV. 3, 99 *intra praesepis meas.* Cas. prol. 57.

fortasse ablativi forma „praesepe“ usus est II 62. IV 301., quamvis non sit de nominativo „praesepes“ cogitandum. (Cf. ibid. *angusto ... patulo praesepe.*)

Ne in his diutius morer, praesertim cum saepius occasio occurrat talia animadvertendi, moneo Sedulium non solum litteris latinis, saecularibus et divinis, sed etiam graecis studuisse. Id quod multis locis patet. In eadem epistula, quam supra memoravimus, calumniatores malivolos ad auctores graecos revocat „Cognoscant“, inquit, „Hermogenianum doctissimum iurislatorem tres editiones sui operis confecisse. Cognoscant, peritissimum divinae legis Origenem tribus nihilominus editionibus prope cuncta, quae disseruit, aptavisse.“ Sedulium graeca etiam scivisse ex versibus colligimus, in quibus nomen Heliae ad vocem „ἥλιος“ refertur. [1]) Litteris graecis (α et ω) per allegoriam usus est C. p. III 288. [2]).

Disciplinis „litteralibus“ in Italia studuit (cf. ann. gymn. Austr. 1876 p. 501) vel, quod etiam legitur, in Italia philosophiam didicit, quae fortasse non differunt. „Deinde illas disciplinas saecularis in Achaia docuit“ vel „postea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum Macedonio consulente docuit“ (cf. supra p. 21 s.). Inde explicatur, cur hic illic poeta „rhetor“ nuncupetur ut in codd. (cf. C. Vind. 85. *Incipit prologus Sedulii rhetoris* . . .) et ab auctoribus (Paschasio Ratberto, Ildephonso, Notkero Balbulo orator). A nostro Sedulio rhetore discernendus est Sedulius ille Romanus [3]) „vir ad modum ingenio acutus atque eloquentia satis floridus“, quem cum Regula quodam Cappadoce de verbis inchoativis conflixisse Virgilius Maro de octo part. orat. auctor est. (cf. A. Mai. auct. cl. V. p. 45 s.).

Trithemium etiam in vita Sedulii enarrare poetam in Achaia versatum esse supra memoravimus. In eadem provincia Macedonium etiam et quos socios eiusdem commemorat epistula

---

[1]) C. p. I 85 s.

Convenit Heliae! merito qui, et nomine fulgens,
Hac ope dignus erat: nam si sermonis achivi
Una por accentum mutetur littera, sol est.

[2]) *Principium ac finem, hunc alpha viderier hunc ω.*

[3]) Eundem grammaticum et rhetorem auctorem esse Commenti in Eutychis artem de d. c. putat Hagenus (Aned. Helv. p. LXXIX).

I. vixisse veri non dissimile est; Macedonium illum aliosque magistros doctrinae divinae se habuisse, poeta ipse nos docet (cf. s. p. 25 adn.). Ad haec quadrant, quae in fragmento cod. Vind. 85 sic leguntur: Deinde illas disciplinas seculares in Achaia docuit. Postea vero totum se in dei servitium transferens studium suum totum scripturas in divinas convertit." Addit glossa cod. Vat. Pal. 242 „et a Macedonio presbytero baptizatus in Arcadiam venit." Inde quaestio exsistit, utrum Sedulius, priusquam Macedonii familiaritatem consecutus sit, sacrorum christianorum expers fuerit necne.

Opinionem Sedulium illo tempore ethnicae superstitioni addictum fuisse acriter Kayserus defendit (Beiträge etc. p. 215). Sed argumenta, quae ad opinionem illustrandam ex epistula I. ad Macedonium repetiit, mihi non probantur. Nam ex illa epistula nihil aliud efficitur nisi poetam olim totum profanis litteris se dedisse, parum curasse divinas. Macedonio aliisque magistris in studium „divinarum scripturarum" se convertit. Quo facto ex laicorum numero inter rectores ecclesiae receptus esse videtur. Puto librarium cod. Pal. vocem „laicus" [1] male interpretatum errore captum esse. Quo autem munere ecclesiastico ille functus sit, non satis constat. Presbyter dicitur ab Isidoro Hispalensi [2], quem sequitur

---

[1]) Cf. supra. „Sedulius versificus primo laicus . . .

[2]) Testimonia integra scribo, ne eadem infra repetere cogar. Isidori libelli „de scriptoribus ecclesiasticis" duas exstare recensiones inter omnes constat. Harum altera incipit a vita Osii episcopi Cordubensis, sequitur Itatii, et triginta tres vitas continet; altera a vita Xysti, sequitur Macrobius, quae 46 vel 48 capita continet. Utra sit Isidori, legibus artis criticae nondum constitutum est. Duae vitae Sedulii Isidoro adscribuntur, altera quae est in Fabricii bibliotheca (script. eccl. p. 51). „Sedulius presbyter edidit tres libros dactylico heroico metro compositos, quorum primus signa et virtutes veteris testamenti potentissime resonat, reliqui vero gestorum Christi sacramenta vel miracula intonant" — alteram legi in codice 409 bibl. Riccardianae talem: „Sedulius presbyter grammaticae peritiae ad perfectum imbutus edidit heroico metro quinque mirabilium divinorum libellos, expediens in primo veteris testamenti virtutes; in reliquis autem, ut ipse meminit, quattuor evangeliorum miracula congregans ordinavit eique operi nomen paschalis carminis dedit."

Honorius Augustodunensis [1]), a Beda Venerabili [2]), ab auctore anonymo [3]) sermonis in natali S. Lucae, a Trithemio [4]); antistes a Belisario et Liberio (vide infra p. 50), quorum uterque epigramma [5]) acrostichum in Sedulii laudem composuit ita ut et ex primis litteris versuum et ex postremis nomina „Sedulius antistes" efficerentur; ab anonymo Mellicensi [6]); episcopus ab Alcuino [7]) et a Sigeberto Gemblacensi [8]). Neque codicum inscriptiones neque subscriptiones sibi constant. Alii enim ut cod. Taur. et fragm. Ambros. titulum poetae nullum praebent, alii „presbyterum" ut cod. Par. 13 377, cod. Vind. 85 s. XI, Vind. 246 s. XII, cod. Trec. 1524 s. XV. Vat. R. I (ap. Arev.), codd. Ambr. rec. E. 57. J. 35. — alii „episcopum" ut codd. Ambr. R. 46. s. XV, C. 64. Urb. — „antistitem" Ambr. G. 39. s. XV. —

Arevalo (prol. p. 15) certum esse videbatur „Sedulium alicubi tandem episcopum renunciatum fuisse", sed, ubi fuerit, egregie nec ipse scit nec alii. Equidem puto, si poeta episcopi munere functus esset, decretum illud Gelasianum „de libris recipiendis et non recipiendis" (cf. infra p. 35) titulum illum non omissurum fuisse. Ceterum argumenta, quibus Arevalus opinionem suam illustrare voluit, non valent. Ad poetas illos, Belisarium et Liberium nos revocat, qui in acrostichis nomen „Sedulius Antistes" tradant. Concedo nomina antistitis atque episcopi saepe promiscue adhiberi, sed auctoritas illorum poeta-

---

1) de script. eccl. c. 7. (Fabr. p. 86.)

2) Opusc. moral. (I. p. 219 ed. Giles) ... ex quibus praefulgidorum virorum Hilarii videlicet Pictaviensis, Sedulii quoque ac Iuvenci presbyterorum nec non et Aratoris Romanae ecclesiae subdiaconi....

3) In homilario Alcuini (Col. 1569 edito): „De quo Evangelista pulchre Sedulius presbyter ...."

4) cf. supra p. 16.

5) cf. Anth. lat. 492 et 493 (ed. R.)

6) cf. c. XXXV (Fabr. p. 149). „Sedulius antistes ad Macedonium presbyterum magistrum suum libros duos de veteri scilicet et novo testamento, metro conscripsit heroico, quibus et prolixum prosaice scriptum praeposuit prologum.

7) Offic. p. fer. (p. 609 Mign.) „hymnus beati episcopi Sedulii".

8) De script. eccl. c. 7. (Fabr. p. 93) „Sedulius episcopus ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris et novi testamenti, quos postea sub metrica lege redactos praetitulavit paschale carmen. Reparavit etiam dactylico carmine omnia Domini opera. Claruit ...."

rum, quorum ne nomina quidem firma sunt, apud me non valet. Haud scio an ex ratione acrostichidis (nomina enim Sedulius et antistes eundum litterarum numerum efficiunt) illo usi sint. At testimonia certiora, inprimis Isidori, qui proxime accedit Sedulianae aetati, et codicum praestantiorum fere nos cogunt, ut arbitremur Sedulium presbyteri munere functum esse. In ipsis poetae operibus insunt quaedam, quae nostram opinionem comprobare videantur.[1]

Quaeritur, ubi poeta sedem ac domicilium habuerit, ubi opera conscripserit. Solvunt quodammodo quaestionem codices fragmenta, quae ad vitam pertinent, exhibentes ut codd. Vind. 85. Marc. (cf. supra p. 16) Laur. 15. plut. XXIII. Respondent interrogantibus „ubi" (fecerit carmen paschale): „*in Achaia*" Marc. „*in cathaia*" depravata lectione Laur., omittit responsum Vind. qui tamen exhibet „*In Achaia libros suos scripsit*" et alio loco „*Edidit* (fort. *condidit*) *autem hunc librum evangelici carminis in Achaia*". Idem in vita, quam supra Gennadio adscripsimus, legitur, ut de fide nequeat dubitari.

Nihil insuper de vita Sedulii referre possumus nisi haec, quae apud Trithemium leguntur „postremo Achaiae finibus excedens in urbe Roma mirabili doctrina clarus habetur". Quae cum nonnisi ad nostrum iure referantur, fortasse vera sunt, quamquam, quem ille auctorem secutus sit, ignoramus. In eadem urbe poetam mortuum esse, fortasse (cave premas) eo concluditur, quod Turcius Rufius Asterius, qui Sedulio mortuo carmina collegit et divulgavit, Romae sedem habuit (cf. subscr. cod. Virg. Med. apud Ribb. prol. p. 222). Quando poeta mortuus sit, non constat; neque Sirmondo fides habenda est narranti ex integris Gennadii exemplaribus se didicisse Sedulium diem suum obiisse Theodosio

---

[1]) Cf. C. p. I 23. s.

Cur ego davidicis assuetus cantibus odas
Chordarum resonare decem, sanctoque verenter
Stare choro et placidis caelestia psallere verbis,
Clara saluti feri taceam miracula Christi?

Ep. I. ad Macedonium . . . ad iaciendum huius operis fundamentum ob hoc maxime provocatus accessi, ut alios exhortationibus veritatis ad frugem bonae messis invitans, si quando infirmitatis humanae vitiis forsitan lacessitus impugner, verbis propriae disputationis monitus metuam . . .

iuniore, cui opus dicaverit, et Valentiniano regnantibus. Sed omisit verba Gennadii integra proferre. Mihi persuasum est illum dedicationis (ad Theodosium) verba legisse nulla (cf. supra p. 22 s).

Neque Teuffelius (R L G[3] 473) opinionem Sedulium praematura morte abreptum esse argumentis ullis illustravit, ut partes eius sequamur.

His adiungenda sunt, quae ex Cod. Vind. 85 sic edidi: Moriens ergo indigestum dereliquit hoc opus in cartulis scriptum. Sed postea Turcius Asterius (Austerius Cod.), vir clarissimus ad omnem elegantiam illud ordinavit, ad legentium utilitatem publicavit." Eadem fere in codice vetustissimo Taurinensi leguntur in fine fol. 28ª. [1])

ROBEO*)INCIPETRATRVMOPVSIDESTEXVESTER
TESTAMENTILIBERPRIMUSETEXNOVOQUATTUOR
QUODSEDULIUSINTERCAR⁝OLASSUASSPARSASRE
LIQUIDETRECOLLITIADUNATIQUESUNTATUSCIORUFO
ASTERIOŪCETEXCONSOLORDˢPATRICIOSUPRASCRIPTORU
MEDITORELIBRORUM.

De hac subscriptione conferantur: Peyronius, de bibl. Bobiensi (Cic. orat. fragm. 1824) p. 215, O. Jahnius, de subscriptionibus antiquis (acta soc. litt. Lips. 1851. p. 327 sqq.), Haasius (Index lect. un. Vrat. 1860), Reifferscheidius, de lat. cod. subscr. commentariolum. (Index lect. un. Vrat. 187²/₃), mea comm. in ann. gymn. Austr. p. 503. Ex codicis indole verba ita recte distinguuntur et emendantur: *Robeo. Incipit sacrum opus, id est ex vetere testamento liber primus, et ex novo quattuor, quod Sedulius inter cartulas suas sparsas reliquit, et recollecti adunatique sunt a Turcio Rufio Asterio v. c. et exconsule* [2]) *ordinario* ˢ (= *atque*) *patricio*, *supra scriptorum*

---

[1]) Verba „testamenti" ... usque ad „suas s" ... rubro sunt scripta.

*) Voci „Robeo" explicandae viri docti operam non frustra consumpserunt. Arevalus reponit „Bobio", erat enim liber monasterii Bobiensis. Minime placet. Aptius id alia manus in capite libri posuit: *liber sci columbani de bobio.* Putat Peyronius hac voce moneri librarios de hisce versibus rubro atramento pingendis. In Peyronii sententiam abiit G. Wattenbachius. (Das Schriftwesen im Mittelalter. Leipz. 1875. S. 288.)

[2]) Non recte Peyronius, „... et ex consolari ordine patricio suprascriptorum .."

editore librorum. — Eadem subscriptio in pluribus iisque eximiae notae codicibus invenitur, hic illic non sine mendis et lectionum discrepantiis ut in cod. Par. 8094. s. XI. (cf. A. L. 491. ann. R.), in cod. Par. 14 143. s. IX. *Hoc opus Sedulius inter cartulas dispersum reliquit, quod recollectum adunatum atque ad omnē elegantiam divulgatum est a turcio. rufo. asterio v̄c exconsule ordinario ac patricio;* cod. Par. 13377 . . . *atq;* *patricio*; discrepat in fine cod. Par. 9347 . . . *a turtio. rufo. asterio quinto v̄c consule ordinario atque patrio* (sic!), omittit verba: *a turtio — patricio* cod. Par. 10307 — legitur etiam in cod. Montepessulano 362 (cf. cat. gén. des manusc. des bibl. des dép. I. p. 430), in cod. Trec. 1524. s. XV. . . . *asterio nunc exconsule ordinario* . . . ., in cod. Vat. Reg. 116. (cf. Reifferscheidii bibl. patr. lat. ital., ap. Arev. Reg. 3)... *a Turcio Rufio Asterio V. C. exconsule* . . . — in Vat. Reg. 1 (Arev. p. 71) . . . *in certas chartulas . . . Ruffo Asterio viro claro exconsule* . . . in cod. Vat. Ott. 1. (Arev.) . . . *Turtio Ruffo Asterio Quinto Vicario Consule Ordinario* etc. — in codice quodam Remensi auctore Sirmondo (cf. Teuff. R. L. G³ p. 1120), in cod. Rhein. 77 saec. X. (cf. Halm, Sitzber. der Ak. d. W. in Wien. B. 50.) . . . *a Turtio Rufo. Asterio ex cons. ordine atque patricio, quod et sequentes eiusdem indicant versus. Sume* . . . . in cod. Bong. 286 (cf. Hageni catal.), in cod. Mon. 14569 s. XI. (cf. Halmii catal. IV. 2.) . . . *a Turcio Rufino Asterio quinto consule ord.* . . . . — in cod. Almeloveenii . . . *a Turcio Rufo Asterio Quinto, viro clarissimo, consule o. a. p.* — in cod. Arntz . . . . *adornatum* . . . . *T. Rufo Asterio. V. C. exconsule* . . . in cod. Laur. 15. pl. XXIII . . . . *a Tertio Rufio Austerio V. C. exc.* . . . — in vetustissimis membranis auctore Barthio . . . *a Turcio Russio (?) Asterio Quinto Exconsule* . . . (cf. Arev. p. 72.) — in cod. Vind. 307 et fortasse aliis.

Exhibent haec verba codices alii in capite, alii in fine carminum, alii post epistulam ad Macedonium, alii alio loco. In codice vetustissimo Taurinensi ea cum prologo metrico in fine libri sunt posita. Lectionum varietates respicientes nos praecipue nominum varietas tangit. Pro *Turcio* vel *Turtio* praebet cod. Taur. „*tuscio*“, quod non discrepat ab illo, cum saepe in hoc codice litterae s et r permutentur; „*T^v^cio*“ Par. 8094. Mendosa est lectio cod. Laurentiani „*Tertius*“, qui

habuit librarium ceteroquin oscitantem.. Lectio „*Turcius*“ plurimis et optimis codicibus probatur.

Pro ‚*Asterio*‘ habent codd. Laur. et Vind. 85 „*Austerius*“, sed iidem alio loco recte ‚*Asterius*‘ praebent. In epigrammate eiusdem, quod in nonnullis codd. post subscriptionem legitur, nomen integrum exstat v. 4 *Asteriique tui* . . (cf. infra p. 35). Magis variant libri in nomine Rufii. Leguntur enim: *Rufus, Rufius, Ruffus, Rufinus, Russius (?)*, plurimi codd. exhibent ‚*Rufius*‘. Haec tria nomina, quae quidem statuimus ‚*Turcius Rufius Asterius*‘ optime quadrant ad virum illum ex subscriptione cod. Virg. Medic. satis notum (Ribb. prol. p. 222) „*Turcius Rufius Apronianus Asterius uc. et. inl. excomite domest* . . . . . *urbi patricius et consul ordin. legi et distincxi codicem fratris Machari- uc. non mea fiducia set eius cui si et ad omnia sum devotus arbitrio XI kal. Mai Romae*“. . . Ex siglis *vc* lectiones: *quinto v. c.* — *viro claro vel clarissimo* — *quinto vicario* — *nunc* (ex *nc*) — *ac* — ortae sunt; reliqua subscriptionis verba codice vetustissimo Taur. facile emendantur „ . . . *et ex consule ordinario atque* (vel *ac*) *patricio.* Cod. Rem.[1]) Sirmondi aliique exhibent „*consule ordinario*“ (a. 494), sed auctoritas optimorum librorum et vetustissimi suadet, ut lectionem „*exconsule ordinario*“ praeferamus. Cum fastographorum errore factum esset, ut duobus consulibus saeculi quinti idem Asterii nomen inditum sit, disputabant viri docti, quomodo Asterius vel Asturius (promiscue enim appellant) consul anni 449 (cum Protogene) ab altero, consule anni 494 (cum Praesidio), discerni posset et uter Sedulii carmina collegisset et divulgasset (cf. Arev. praef. p. 73—84). At alteri praenomina Turcio Rufio Aproniano esse ex subscriptione cod. Virg. Medicei colligitur, eadem nomina (Turcius Rufius Asterius) etiam Sedulii carminum editori fuisse, aeque e codd. supra conclusimus[2]). Deinde inscriptio

---

[1]) Hunc praeter Iahnium (l. c.) sequitur Teuffelius in hist. r. l. R. p. 1120 aetatem Sedulii definiturus.

[2]) Codicis Virgil. censorem et Sedulii carminum editorem eundem esse, ex epigrammatis etiam verbis, quae subscriptiones sequuntur, colligitur. Cf. cod. Med. (Iahn. p. 344)

„*Asteriumque suum vivax transmittit in aevum*“ et Sedul. cod. Vind. 85 in ann. gymn. Austr. p. 502).

„*Asteriique sui semper meminisse debeto*“.

exstat (cf. Inscript. christ. urb. Romae coll. de Rossi 1861. n. 745), quae nomen consulis Fl. Asturii exhibet. Hanc inscriptionem Rossius certis argumentis nisus anno 449 adiudicavit. Itaque praeclare absolvit vir doctissimus hanc de Asteriis quaestionem addens (l. c.) p. 325 „... Rufium Asterium consulem, de quo Virgilii et Sedulii codices meminere a Flavio Asturio [1]) (non Asterio) consule anni 449 diversum hominem esse et luculentae inscriptionis testimonio (cf. n. 745) iam demonstravi. Quam demonstrationem deinde mihi confirmavit ac cumulavit ineditum lapidis Mediolanensis fragmentum, quod in addendis ad annum 449 reperies." Iam recentioribus rei litterariae Romanae scriptoribus persuasum est Turcium Rufium Asterium consulem fuisse anni 494 (exconsulem a. 495) eundemque Sedulii carmina collegisse et divulgasse. Sed nova difficultas paritur eo, quod poetam circa medium fere saeculum quintum floruisse certa argumentatione supra statuimus. Teuffelius hanc difficultatem tollere sibi videtur affirmans fragmento illi ad poetae vitam pertinenti, quod Gennadii esse nos collegimus, fidem non esse habendam et — Sedulium utpote amicum Asterii (cons. 494) aequalem fuisse. Dissentio (cf. supra p. 18). Post Teuffelium de Sedulio egit Ebertus. Hic longe aliam viam ingressus est Kayserum (cf. l. c. p. 218. ann.), ut opinor, secutus. Testimonia illa vetera: alterum de aetate Sedulii, alterum de Asterii editione ita vult consociari (L. G. d. M. p. 358. ann.): „Asterius Angabe (cf. ep. v. 5 *cuius ope et cura edita sunt populis)* erklärt sich daher nur durch die Annahme, dass zu seiner Zeit das Carmen bereits verschollen war, in Folge der Edition des Opus; und man muss zwischen der Ausgabe des Asterius und der Abfassungszeit einen längeren Zwischenraum annehmen". Hanc Eberti opinionem mihi non probari alio loco iam demonstravi. Pauca addo. Quis est cui persuadeatur carmen paschale, quod tanta gloria et laude floruerit, opere paschali, elegantia multo inferiore, edito neglectum esse? Deinde non est, cur Asterii clare dicta (sua cura et ope carmina edita esse populis) neque ab ullo auctore impugnata in dubitationem vocemus. Priusquam nostram

---

[1]) Cf. Th. Mommsen. (die Chronik des Cassiodorius Senator. Abh. d. kön. sächs. Ges. d. W. phil. hist. Cl. III. B. S. 653. 674).

de hac re opinionem afferamus, de decreto Gelasii papae nobis agendum est illo „de libris recipiendis vel non recipiendis“. In hoc decreto postremi Iuvencus et Sedulius una laudantur, quorum opera ab ecclesia approbantur c. 34 (Arev. p. 419). „*Item venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod heroicis descripsit versibus insigni laude praeferimus. Item Iuvenci, nihilominus laboriosum opus non spernimus sed miramur.*“[1]) Valde disputatum est de tempore, quo decretum factum sit (cf. Herzog, Realencycl. s. Gelasius I., Arev. praef. p. 80 seq.). Sed et hanc quaestionem ad finem duxisse putandus est Rossius ex argumentatione supra enarrata tali (l. c. p. 404) „Itaque celeberrimum Gelasii decretum de libris quos Romana recipit vel improbat ecclesia, de cuius aetate Seduliani operis causa dubitatum tantopere est, nunc demum certam in ecclesiae fastis sedem nansciscetur anno nempe 495 vel 496“. — At ex codicum auctoritate (cf. supra p. 33) verisimile est anno 496 decretum illud prodiisse. Accedit alterum. Legitur nonnullis in codicibus plerumque post illud de Asterii editione fragmentum[2]) epigramma „eiusdem“, cuius iam mentionem fecimus (cf. A. l. 491 R., supra p. 33 ann. 2.):

Sume sacer meritis veracis dicta poetae,
Quae sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Perquam iustus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse iubeto (al. debeto)
Cuius ope et cura edita sunt populis.
Quem quamvis summi celebrent per saecula fastus
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Nemo non videt hoc epigramma esse carmen dedicatorium, quod Asterius editioni carminum Sedulii praescripserit. Sed quaeritur, cui Asterius editionem dedicaverit? Quis ille est „sacer meritis“, cui veracis dicta poetae commendantur et cuius gratiam sibi conciliaturus est Asterius? Respondet Lu-

---

[1]) Hoc Gelasii decretum in nonnullis etiam codd. Sedulianis legitur ut in Ambros. R. 46, C. 64, J. 35 (qui *proferimus* exhibent). Additur in cod. J. 35 „*verba papae pelagii* (sic) *ut haec intuenti patebit*“.

[2]) In cod. Par. 14143 capita ita se excipiunt. Epistula ad Macedonium I, subscriptio: *hoc opus . . . patricio, incipiunt versus eiusdem: sume sacer . . . incipit praefacio paschalis carminis: paschales. . . .*

cianus Muellerus, de re metr. p. 464 „... epigramma Asterii — nam is mortuo Sedulio opera eius Macedonio abbati amoris causa dedicaverat —“, cum non sit credibile Macedonium, magistrum Sedulii, vitam usque ad consulatum Asterii et ultra perduxisse. Ceterum Macedonio abbate clarior putandus est is, ad quem hoc epigramma spectat. Itaque arridet et valet apud me opinio Gelasio papae Asterium Sedulii editionem praemisso epigrammate commendasse et dedicasse, cum ille canonem veracium librorum constituere intenderit. Haud dubie epigrammatis verba ad summum Pontificem Gelasium maxime quadrant. Alia est quaestio, utrum haec (anni 495) Sedulii operum editio princeps fuerit necne. Fortasse recte ex verbis epigrammatis „cuius ope et cura edita sunt populis“ colligo Asterii editionem (anni 495), quam Galasio dedicaverit, non esse primam. Idem fere alii [1]) ex Gelasii decreto effecerunt quamquam alia via.

Nonne credibile est Asterium Sedulii opera iterum recognosse novamque editionem Gelasio dedicasse, cum ecclesia Romana canonem librorum sacrorum constitutura fuerit? Fortasse Asterio utpote viro patricio et consulari gratum facturus, Gelasius Sedulii opus tanta laude persecutus est. Si ita res se habent, difficultates, quas supra statuimus, possunt amoveri: Circa medium saeculum quintum Sedulium suos libros scripsisse ex Gennadio scimus; quando mortuus sit poeta, ignoramus, sed nihil obstat, quominus affirmemus pluribus annis post compositionem operis (quod non ediderat) de vita eum exiisse. Opus indigestum et in cartulis scriptum postea Rufius Asterius collegit adunavit divulgavit. Posterius consilio Gelasii illo permotus novam editionem Asterius confecit eamque papae dedicavit, ut Sedulii opera in libros ab ecclesia approbatos referrentur: id quod ex epigrammate supra laudato collegimus. Hoc epigrammate Sedulii operibus praemisso fortasse factum est, ut librarius vel librarii illa de Asterio editore verba adnotarint. Iam testimonia veterum tam varia, quae tamen negligere cum aliis non ausim, quodam modo concinnunt et explicantur.

---

[1]) Cf. Baehr. H. l. R.² IV. p. 106. (die Dichtungen des Sedulius), „welche übrigens schon im Jahre 496, wie der Ausspruch des Papstes Gelasius zeigt, zu grossem Ansehen und wol auch zu grösserer Verbreitung gelangt waren“.

Haec quidem hactenus. Iam poetae opera recensere et in quaestionem vocare instituamus. Ne quis negligentiae me accuset, rem omnibus numeris absolvere in animo non habeo, sed ea maxime persequar, quae sunt dubia vel nondum explorata.

II. De scriptis Sedulii.

Sedulii opus insigne heroicis versibus descriptum vulgo inscribunt „carmen paschale". Carmini praemittitur epistula oratione soluta ad Macedonium, qua incepti causas expurgari et opus „domino sancto et beatissimo patri Macedonio presbytero" vult commendari poeta. Carminis titulum ipse in fine epistulae circumscripsit ita: „Quattuor ergo mirabilium divinorum libellos, quos ex pluribus pauca complexus usque ad passionem et resurrectionem ascensionemque Domini nostri Jesu Christi, quattuor evangelistarum dicta congregans ordinavi, contra omnes aemulos tuae defensioni commendo. Huic autem operi, favente domino, Paschalis carminis nomen imposui, quia pascha immolatus est Christus." Cum Macedonius poetae praecepisset, ut „paschalis carminis textum in rhetoricum transferret sermonem", inscripsit opus soluta oratione descriptum „paschale opus", ut ex epistula altera ad eundem Macedonium conficitur: „Priores igitur libri, quia versu digesti sunt, nomen Paschalis carminis acceperunt. Sequentes autem in prosa nulla cursus varietate conversi, Paschalis designantur Operis vocabulo nuncupati." Non satis accuratum titulum exhibet decretum Gelasianum „paschale opus, quod heroicis descripsit versibus". Putabat Iuretus, qui primus omnium prosam Sedulii divulgavit, utrumque comprehendere voluisse papam, alii decretum illud coniectura vexabant ita, ut scriberent „paschale opus et quod heroicis descripsit versibus". Sed coniecturis non opus est, cum in decreto illo de integra inscriptione operum non possit cogitari, nam decreti sententia haec esse mihi videtur „insigni laude praeferimus Sedulii opus [1]), quod de pascha agit et heroicis versibus est descriptum". Neque necesse erat prosae sive operis paschalis singularem mentionem

---

[1]) Cf. in eodem capite „Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus.

fieri, cum eadem quae in carmine tractentur in prosa. Eundem carminis titulum, quem epistula ad Macedonium I., exhibent: Isidorus (cf. supra p. 28), Beda Ven., Comm. in Luc. c. 49 „Sedulius in paschali carmine pulchre versibus dixit“, in libro de metrica ratione „Idem (Sed.) ipse in carmine paschali“ e. a..; appendix ad b. Caroli Magni Capitulare de imag. (cf. ap. Mign. t. 98. p. 1321 „Sedulius in libro IV. paschalis carminis“), Smaragdus abbas, Dungalus Recl., Jonas Aurelianensis, Asserius Menevensis (vid. supra p. 14 „in paschali metrico carmine“), Sigebertus Gemblacensis (vid. supra p. 29 „praetitulavit paschale carmen“) alii. Verborum ordinem invertunt: Rhabanus Maurus Beda, Comm. in Matth. I, 1. (ap. Mign. t. 107. p. 744) „Et Sedulius in carmine paschali ita loquitur.“ Trithemius (l. c. „carmen paschale“)....

Integra prosae inscriptio legitur apud Paschasium Radbertum de partu virg. (ap. Mign. t. 120 p. 1385) „hinc Sedulius rhetor Romanae ecclesiae in paschali suo opere ait..“ Confundit titulos idem modo opus paschale modo carmen paschale dicens Hincmarus in opere de non trina deitate.

Neque vero codices, quod ad operis Seduliani inscriptionem attinet, consentiunt. In fragmento vetustissimo, quod Mediolani in bibliotheca Ambrosiana asservatur, subscriptio haec est: *expl. operis sedulii sacri librorum. novi. et veteris testamenti libri quinq: feliciter.*

Fere eandem inscriptionem operis e subscriptione codicis Taurinensis colligimus (cf. supra p. 31) et e codd. n. 74 bibliothecae (d'Epinal, cf. Cat. g. des man. des dép. III p. 430) „*Incipit sacrum opus Sedulii de veteri testamento lib.* I.“ [Riccardiano 409 „*Sedulii poetae sacrorum carminum libri* IV.] Laurentiano 23. plut. XV. „*incipit praefatio in sacrum opus de veteri testamento liber primus.*“

In editionibus vetustis, quae plerumque ad codices recentiores recensitae sunt, titulus etiam legitur, quem probat Baehrius „Mirabilium divinorum sive operis paschalis libri (quattuor) quinque.“ (Cf. conspectum editionum ap. Arev. praef. p. 58.) Arntzenius in praefatione suspicatur ab Asterio dispersa carminis membra colligente illum titulum adiectum esse, argumento adlato nullo. Neque codicibus vetustissimis neque veterum testimoniis haec inscriptio probatur. Ceterum facile

cognoscitur titulum illum e Sedulii verbis supra laudatis (quattuor ergo mirabilium divinorum libellos) natum esse. Sed non opus est in omnes [1]) inscriptionum discrepantias inquirere, cum e Sedulii ipsius verbis, e codd. venerandae aetatis ut Parisinis 9347, 10307, 13377, 14143, Vind. 307, Laur. 23, Vat. Reg. 2 ... et testimoniis veterum multis satis pateat carminis integram inscriptionem fuisse „paschale carmen“ et „paschale opus“ prosae. At non multo post Asterii aetatem, ut ex Bedae et Rhabani Mauri opere colligas, verborum inverso ordine dicebant et scribebant etiam „carmen paschale“ analogiam, ut opinor, secuti ut Horatii carmen saeculare, Commodiani carmen apologeticum, aliorum. Hanc carminis inscriptionem retinemus, quippe quae nunc apud omnes sit pervulgata.

Alia quaestio inter viros doctos exstitit de numero librorum carminis itemque prosae. Poeta quidem ipse in epistula ad Macedonium I. numerum librorum descripsit, sed libri mss. in numero adpingendo sibi non constant (cf. Arev. ad l.). Etiam codicis praestantis Taurinensis auctoritas non valet, qui exhibet l. c.: *„Tertio igitur mirabilium divinorum libellis ...“*, cum in eodem libro carmen, ut infra exponam, in quinque libros digestum sit. Equidem puto librarium codicis scripturam archetypi (IIII) non accurate distinxisse et exarasse. In Isidori libro de vir. illustr. ex recensione altera legimus „ .. edidit heroico metro quinque mirabilium divinorum libellos ...“ altera „ .. edidit tres libros dactylico heroico metro compositos ...“ Sed cum in numeris scribendis in libris mss. adeo peccetur, his fides non habenda est. Hanc Isidoriani libri recensionem secutus est Honorius Augustodunensis. Discrepant: Anonymus Mellicensis, qui duos tantum libros (cf. supra p. 29) et Trithemius, qui quattuor numeravit. Librorum mss. multi iique bonae notae carmen paschale in quattuor libros digerunt, librum primum qui est in editionibus, et alterum in unum contrahentes ut cod. Par. 13 377.

f. 20^b *Incipit paschalis carminis liber primus de singulis utriusque testamenti miraculis „cum sua gentiles ...*

---

[1]) Cf. Cod. Vind. 233. s. XII. *incipit invitatio de pascalibus rebus Sedulii.* Cod. Ott. 2. (ap. Ar.) *incipit liber Sedulii de actibus prophetarum et toto Christi salvatoris cursu.*

f. 32[a] *Incipit paschalis carminis liber secundus „prima suae Dominus . . .*

Putat Grunerus et qui eum secutus est, Arntzenius, divisionem quattuor librorum esse genuinam, loco iam memorato (p. 37) nisi, quamquam ipsi in editionibus carminis quinque libros statuunt. Sed falluntur viri docti, qui ex illo loco aliquid profici in suam sententiam putent. Luce clarius est Sedulium illo loco nonnisi de novo testamento cogitasse, ut ex iis quae sequuntur colligitur „quattuor evangelistarum dicta congregans ordinavi" . . Haec materiae distributio historiam veteris testamenti, quae nunc librum primum conficit, non continet, quippe quae non de pascha (immolato Christo) agat et sit quasi prooemium novi testamenti.

Genuinae librorum inscriptiones et subscriptiones in codd. vetustissimis Ambrosiano et Taurinensi exstare mihi videntur, quas repeto, ut quaestionem decernamus. v. I 368 *portantes nostros . . .*

Taur. fol. 7[b] *expl. liber primus veris* (= veteris) *testamenti inc. liber primus novi testamenti legenti vita perpetua.*

fol. 11[b] [expl. l i b]*er primus novi testamenti*
incp. liber secundus legenti vita pertua (sic)
Prima suae dominus . . .

fol. 16[a] *expl. lib. secundus inc. lib. III ego abundantius istum librum contuli felicit.*

fol. 20[b] *expl. lib. III· inc. lib. quartus ego abundantius hunc lib. contuli.*

Concinit fragmentum Ambrosianum, quod incipit a v. IV 128.

(308) . . *in principe regnum*
expl. liber III. incip. liber ·IIII· novi testamenti.
„Has inter virtutis opes . . .

Taur. fol. 26[a]
expl. liber quintus novi testamenti feliciter

in quo error librarii subest, ut ex subscriptionibus iam exscriptis satis patet. Accuratior est subscriptio codicis Ambrosiani:

expl. operis sedulii sacri librorum novi et veteris testamenti libri quinq: feliciter.

Itaque novi testamenti libri quattuor[1]), veteris unus, quinque universi numerantur.

Operis paschalis[2]) quot libri distinguantur, e codicibus disceptare non possum, sed dubium non esse videtur, quin ad numerum et ambitum librorum carminis sint confecti. Operi paschali epistulam ad Macedonium alteram praemitti iam memoravi. Carminis operisque summam diligenter enarraverunt Schroeckhius, hist. eccl. VIII. p. 148 seq. et Ebertus, l. c. p. 359 seq.; hic etiam nonnulla discrimina, quae intercedant inter opus utrumque, e Sedulii epistula ad Macedonium altera inprimis collegit atque congessit (cf. p. 363.). Equidem hoc unum moneo carmen paschale prosae multum praestare laude, quo explicetur, cur Opus tam paucis exemplaribus sit propagatum.

Post carmen paschale in libris manuscriptis legitur carmen aliud inscriptionis variae, quod etiam Asterius ex scriptis ineditis Sedulii edidisse videtur, si quidem respicimus inscriptionem cod. Vind. 85 f. 39 *„versus Asterii, qui collegit r. S.* (fort. *reliquias Sedulii*):

Cantemus socii domino, cantemus honorem.

In margine alia manus adnotavit *„carmen de mediatore Sedulii."* Absque inscriptione ac subscriptione carmen exstat in cod. Taur. et Ambr., inscribitur in cod. Par. 9347 ita fol. 16a *„incipit hymnus sci Sedulii"* — item in cod. Par. 13047 in cod. Par. 14,143 *„incipiunt versus eiusdem"*, in cod. Vind. 246 *„incipiunt alii versus eiusdem,"* in cod. Reg. 15 B XIX (Mus. Brit.) *„incipiunt versus eiusdem de laude xpi. — finit dominicum carmen sedulii,"* in cod. Laur. 23. pl. XV. *„incipit carmen eiusdem"* (cf. et. Mon. 14,569 H.), cod. Ambr. R. 46 *„auctoris epilogus, cantemus . . .;* Ambr. H. 80. *„incipit paracterium carmen vel repercussorium eoque unus uni repercutiatur ad alterum,* Cod. Canter. *„hymnus Sedulii de vet. et nov. testam."*, Alm. *„ymnus Sedulii"*, Vat. Reg. 2 (Ar.) *„incipit carmen elegiacum, quod vocatur parac-*

---

[1]) Dissentiens a ceteris est incisio libri quinti post v. 260 in cod. Vind. 307. *„explicit liber quartus novi testamenti. Incipit liber V."* — et in fine *„explicit liber quintus novi testamenti"*.

[2]) Trithemius l. c. opus inscribit ita „De miraculis Christi prosaice lib. II."

terium" etc. Ne nimis! E Trithemio exaratum titulum in fine proponere praestat, qui est *„exhortatorium ad fideles lib. I.* Recentiores editores carmini inscribunt: *„Hymnus I. Collatio veteris et novi testamenti per schema* ἐπαναλήψεως *alternis versibus repetitae*" (cf. Cell. Grun. Arntz. edit.), *Elegia* autem Arevalus, cum a nonnullis apposita inscriptio *„collatio veteris et novi testamenti*" non plane conveniat (cf. v. 106). Hoc carmen Asterio adscripserunt Barthius Cuspinianus alii decepti, ut opinor, eo, quod in nonnullis codd. carminis inscriptioni „carmen vel versus eiusdem" praecedit annotatio illa de Asterio editore. Sed e codd., qui eandem carminis inscriptionem annotatione illa omissa praebent, recte colligitur, de Sedulii eiusdem versibus, non Asterii esse cogitandum. Mihi quidem etiam inscriptiones codd. Vind. 85 et 246 Asterium carminis collectorem et editorem, non auctorem indicare videntur. Hanc meam opinionem confirmat inscriptio cod. Vat. Reg. 5. quamquam recentissimi *„Turtius Ruffus Asterius Quintus sequentia carmina inter scripta Cellii Sedulii invenit.*" Sequuntur: elegia, hymnus II. cf. Arev. praef. p. 91. At omnem dubitationem tollunt codices iique praestantes qui nomen Sedulii, auctoris carminis, prae se ferunt. Accedit auctoritas Bedae Venerabilis, qui hymni primi Sedulii mentionem facit ita (de arte metr.): „Observandum est autem in carmine elegiaco, nequid unquam de sensu versus pentametri remaneat inexplicitum, quod in sequenti versu hexametro reddatur, sed vel uterque sensibus suis terminetur versus, ut Sedulius:

Cantemus socii, cantemus honorem
Dulcis amor Christi personat ore pio.

Carmen in honorem dei scriptum quinquaginta quinque disticha continet, quorum primo poeta socios invitat ut secum domino honorem cantent; in sequentibus eximia facta et dicta veteris testamenti et novi inter se conferuntur, quo titulus ille natus est „collatio veteris et novi testamenti". Excepto primo disticho artificiose carmen est compositum ita, ut penthemimeris prioris versus sit proximi pentametri hemistichium alterum, quam versuum formam grammatici epanalepsin dicebant vel carmen „paracterium i. repercussorium eo, quod repercutiatur unus versus ab altero ut:

v. 5. seq. *Unius ob meritum cuncti periere minores,*
Salvantur cuncti, unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua ianua letho
Et qua vita redit, sola fuit mulier.

Hoc versuum schemate ante Sedulium inprimis Pentadius usus est, cuius versus leguntur in Riesii Anth. lat. p. 162 seq. Indulsit poeta in hoc genere versuum studio saeculi, quod facetiis et ludibriis cuiusvis modi aeque delectatum est ac quartum artificiosis Porfirii Optatiani carminibus. Post Sedulium plures exstiterunt, qui talia per epanalepsis schema decurrentia carmina finxerunt ut poetae christiani: Teudufus Aurelianensis, Paulus Diaconus, Eugenius Toletanus alii. Ceterum quo artificiosior est in carmine poeta, eo obscuriora sunt verba.

Hymnus alter Sedulii, quem etiam Asterius primus edidisse (cf. supra p. 42) videtur, de vita Christi agit et a Trithemio et quibusdam codd. inscribitur „De miraculis Christi". Decurrit dimetris iambicis acatalectis, quorum quaterni stropham conficiunt. Hoc versuum genere primus in hymnis componendis usus est Ambrosius, episcopus ille Mediolanensis, a quo hoc hymnorum genus nomen „Ambrosianorum" traxit.[1]) Deest hoc carmen in codice vetustissimo Taurinensi et aliis non paucis. Legitur in cod. Par. 14143 titulo omisso fol. 54^{a}, inscriptum in codd. Par. 9347 fol. 2^{b} . . *ymnus sci seduli de nattt dni.;* Vindd. 307 et 85 *„ymnus sancti sedulii presbiteri"*, Mon. 14569, Laon. 113 *„incipit carmen natalis domini nostri Ihesu Christi"* (cf. Cat. gén. des. man. des. dép. I p. 97.), Laurentianis duobus sine inscriptione, in cod. Ambr. R. 46 et C. 64, qui post hymnum I. exhibent haec: *„Explicit liber Sedulii epi Incipit ymnus eiusdem in honore*[2]) *dni, qui in suorum versuum principiis continet alfabetum";* aliis. Praeter codices, qui hoc carmen Sedulio adscribunt, etiam testimonia veterum exstant, quae de carminis auctore nihil dubii relinquant. Sic Beda Venerabilis in libro de a. m. cap. 8. „Metrum iambicum

---

[1]) Ildephonsus sub Ambrosiani nomine laudat stropham e Sedulii hymno desumptam.

[2]) Lege: *honorem.*

tetrametrum recipit iambum locis omnibus, spondeum locis imparibus, quo scriptus est hymnus Sedulii:

A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem . . .

Alcuinus huius carminis mentionem facit ita (cf. Mign. t. 101. p. 609) „hymnus beati episcopi Sedulii de nativitate et baptismo et virtute et traditione et passione, resurrectione et ascensione domini notri Jesu Christi. *A solis . . .*“ Carmen continet viginti tres strophas, quarum singularum initiis h. e. litteris initialibus alphabetum efficitur. Quam ob rem carmen hymnus abcedarius nuncupatur vel carmen acrostichum Arevalo improbante cf. prol. p. 28. Descripsi hanc acrostichidis formam apud veteres poetas christianos in programmate (Untersuchungen über den iamb. Dimeter bei den christl. lat. Hymnendichtern der vorkarol. Zeit, Wien 1876) p. 45 ibique causas, quibus ducti poetae hoc schemate uterentur, probabiliores aliis attulisse mihi videor. In breviariis carmen distrahi in duo vel tria solet, quorum partium prima (strophae A—G) plerumque inscribitur „Ad laudes in nativitate Domini“, altera (H—N) „Ad vesperas in epiphania“ (cf. Kayseri op. l. p. 315 s.) Has carminis partes nuper e cod. Bernensi 455 s. x. edidit H. Hagenus, Carm. med. aevi. p. 44 seq. (cf. quae annotavi in annal. gymn. Austr. 1877. p. 180.)

Praeter opera iam descripta Trithemius in catalogo Sedulio nostro attribuit: „II. In omnes epistolas Pauli lib. XIV. Antequam apostolica verba. . .“ In harum annotationum titulo auctore Arntzenio legitur ita [1]) „Sedulii Scoti Hiberniensis in omnes epistolas Pauli collectaneum“ — „VI. Epistolas plures ad diversos lib. I Sedulius Scotigena.“ Ex patriae nomine adiecto colligitur istorum operum auctorem non esse Sedulium nostrum, sed alium scilicet eum, quem „iuniorem“ vel „Scotigenam“ vel „grammaticum“ appellant viri docti. Eidem adscribuntur opera etiam a Trithemio memorata „In maius volumen Prisciani lib. I“ et „In secundam editionem Donati lib. I“ (cf. Teuffel. RLG[3] p. 1120. 9, Hagen. Anecd. Helv. p. LXXV. seq.). Restat unum opus, quod Trithemius quarto loco memorat „Ad Theodosium imperatorem lib. I Romulidum ductor clari . .“

[1]) Cf. et bibl. patr. Lugd. t. VI. p. 494.

inscribitur etiam „Dedicatio ad Theodosium Augustum" Legitur in Arntz. praefatione, apud. Areval. p. 338, in Riesii Anth. lat. n. 735 (versus in capite Sedulii scribendi). Quod opus ut Sedulio abiudicem, praeter argumenta ab Arntzenio Arevaloque congesta eo adducor, quod carmen neque in codd. Sedulii antiquissimis [1]) exstat neque ab auctore vetere ullo laudatur. Ex titulorum discrepantia [2]) colligitur etiam medium aevum certum carminis auctorem ignorasse. Nunc carmen in editionibus centonis Probae legitur, cui id adscribunt nonnulli (cf. Taucheri ed., Arntz. praef.). Meam de carminis auctore opinionem dissidentem ab aliis alio loco proponam. Ex hoc carmine quidam argumentum sumunt (cf. v. 3 s. . . . *dignare Maronem Mutatum in melius divino agnoscere sensu),* quo etiam centonem Virgilianum „de incarnatione" vel „de verbi incarnatione" inscriptum (cf. Arev. p. 384) Sedulii esse contendant. Primus e codice Corbeiensi hunc centonem edidit Martenius, et Sedulii esse putavit eo ductus, quod in codice Corbeiensi post operis paschalis librum primum ille legitur. Hoc argumentum me non movet. Martenii opinionem secuti sunt recentiores rei litterariae scriptores ut Baehrius (L. G. ² IV, p. 104), Comparettius (Virgil im Mittelalter, S. 51). Neque vero hoc carmen in ullo alio codice Seduliano vetusto legitur aut habet quemquam veterum auctorum laudatorem. Praeterea dubito, num in codice Corbeiensi carmen illud Sedulii nomen in capite prae se ferat. Quodsi carmen non inscribitur, futilis Martenii argumentatio est, nam inter omnes constat, quam saepe in codicibus series librorum cuiusvis turbetur alienis opusculis interpositis. Denique censeo Sedulium, Virgilii carminum tam studiosum atque gnarum poetam, praestantius opus ex versibus Virgilianis compositurum fuisse.

Docet Ger. Meermannus Sedulium nostrum esse auctorem epigrammatis (cf. A. l. 724 R.), quod post Dicuili librum de mensura orbis terrae legitur (cf. Dic. p. 3 ed. Walck.). Meermannum secutus est Meyerus (Anth. lat. I. p. 113 s.), Graes-

---

[1]) Equidem carmen nonnisi in cod. Marc. iam laudato post Liberii versus acrostichos legi inscriptione addita nulla.

[2]) In cod. Laur. 15 plut. XXXIII carmen Probae Faltoniae centoni praemittitur inscriptione hac *„incipit prologus centonae"* subscriptione *„explicit prologus centonae probae"*.

sius (L. G. I. 786). Atque nititur viri docti opinio Dicuili verbis, quae epigramma sequuntur, his: „Non debet mirari, quod in primo loco septimi et octavi versus istorum amphimachrus scriptum est: quoniam (qm codd.) ut reor non imperitia, sed auctoritate aliorum poetarum [1]) et maxime Virgilii, quem in talibus causis noster simulavit Sedulius, qui in heroicis carminibus raro pedes alienos ab illis posuerunt". At fallebantur illi, qui putabant Dicuilium de Sedulio nostro cogitasse. Apparet enim Scoto monacho illi loco citato non Sedulium nostrum sed Sedulium Scotigenam (i. e. iuniorem) obversatum esse (cf. supra p. 12). Omitto inquirere in opuscula quaedam, quae quidem olim dubia ratione Sedulio tribuebant, nunc autem inter aliorum poetarum carmina certum locum obtinent (cf. Arntz. praef., Arev. praev. p. 31. seq.).

Denique inter carmina incerta Arntzenius, inter certa Arevalus refert „Sedulii epigramma", quod ex scripto codice Casp. Barthius, Advers. lib. X. c. IV. protulit, auctore Arevalo in codd. Vaticanis etiam reperitur (cf. Arntz. ed. p. 266, Arev. p. 381). Idem epigramma sine inscriptione equidem legi in cod. Laur. 12. plut. 24, s. XI. tale (post hymnum I.),

Haec tua perpetuae [quae] scripsi dogmata vitae,
Corde meo facias, Christe, manere rogo. [a])
Ut, tibi quae placeant, tete favente [b]) *requirens*
Gaudia caelorum te duce, Christe, metam.

Audiamus, quae sit Barthii, viri ingenio acutissimi de hoc epigrammate opinio. Dicit l. c. „Non vero indignum est Sedulio hoc epigrammation, quum maxime vel ex eo eius indoles eluceat, quod acumen in voculis paribus „te, tua, tete, tibi quaerit": quod genus cum honestate quadam amat hic Christi olor." Dissentio. Equidem puto illos versus mediocri ingenio librarii cuiusdam (cf. *scripsi*) deberi, neque concedo illam „voculorum parium" congeriem ex Sedulii indole esse. Ceterum

---

[1]) Addidit hoc loco Riesius „est factum". Sed prius ei contractum illud qm explicandum erat. Equidem puto verbum prioris sententiae (scriptus est) pertinere etiam ad ea, quae sequantur. Eundem verborum ordinem, quem proposui, exhibet cod. Marc. 113. s. XV (cf. catal. Valent. tom. VI. p. 69).

[a]) *Corde, rogo facias, Christe, manere meo.* Arntz. Arev.

[b]) Contra metrum; *fautore* Arntz. *Faciente* Arev. ex emendatione Scoti editoris.

librarios finito labore nonnunquam sudore madentes versus adicere res est notissima. Velim conferas versus, qui in cod. Laur. 15 plut. XXIII post hymnum II. sequuntur:

Calcavit unicus Dei
Seseque caelo reddidit.

„*qui nos in recto faciat persistere calle ut tibi servitium valeamus reddere dignum*". Nemo non videt hos versus librario deberi.

Restat ut inquiramus, quo ordine carmina a Sedulio sint conscripta. Ex epistula ad Macedonium utraque hoc unum elucet carmen paschale prius compositum esse quam opus. Egregie igitur fallitur et fallit Sigebertus Gemblacensis dicens c. 7. „Sedulius episcopus ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris et novi testamenti, quos postea sub metrica lege redactos praetitulavit paschale carmen." Per analogiam iudico — nam quis affirmet — a carminibus minoribus se contulisse ad maiora condenda; Turcius autem Asterius in edendis operibus eum carminum ordinem constituisse mihi videtur, quem codices praestantissimi exhibent: descendentem a carmine paschali ad opera minora. Dissentit Lucianus Muellerus, qui sane mira in hac re proposuit, de re metr. p. 464 „Ceterum foedo errore opusculum Sedulii, eodem quod confectum est schemate, hoc disticho incohari credunt

Cantemus socii domino, cantemus honorem.
dulcis amor Christi, personet ore pio.

quod ut plane alienum a sententia carminis nemo non videt lineola interiecta separandum esse a ceteris quasi praefatiunculam hymnorum vel potius omnium Sedulii librorum, quae res etiam eo confirmatur, quod in codice Arntzeniano epigramma Asterii — nam is mortuo Sedulio opera eius Macedonio abbati amoris causa dicaverat (?) — praepositum legitur hymno primo, ut contrario quam nunc fit ordine opera Sedulii constituenda esse appareat." Concedimus illud distichon esse quasi praefatiunculam — at non omnium Sedulii librorum; puto illud hymno I. in eundem modum praeponi, quo carmini paschali prologum metricum distichis decurrentem praemiserit poeta. Quis insuper credat praefatiunculam illam esse quasi praefationem omnium librorum veluti si omnes decantentur (cf. v. 1) in hymnorum modum

canticis destinatorum (cf. supra p. 44). Quod epigramma Asterii in cod. Arntz. ante hymnum I. exstat, nihil inde conficitur; idem enim in codd. vetustioribus post epistulam ad Macedonium primam vel ante carminis paschalis librum primum legitur; in codice Vind. 307 epigramma in folio ultimo post hymnum utrumque est scriptum. Itaque non est, cur a librorum ordine serieque, quam codd. vetustissimi servant, discedamus.

Deinde Sedulius hoc habet, ut semper fere eadem argumenta ex historiis sacris eligat atque versibus exornet. Ut iam supra memoratum est, et carmen paschale et opus cum insignes historias a vetere testamento, tum „Christi vitalia gesta" ab evangeliis repetita tractat. Item hymnorum alter facta atque dicta ex utroque testamento describit et confert (v. inscriptionem „collatio veteris et novi testamenti"), alter Christi incarnationem: infantiam, mirabilia facta, passionem, resurrectionem, ascensionem succincte carmine celebrat. Iam ante Sedulium, C. Vettius Aquilinus Iuvencus, presbyter Hispanus, materiam evangeliorum, Matthaeum evangelistam inprimis secutus, heroicis versibus descripserat, quod opus inscribunt „historiae evangelicae libri quattuor". Utriusque carminibus in quaestionem vocatis coniecit Aldus Manutius (ed. 1501. p. 2). Iuvenci libros de historia evangelica non vidisse Sedulium, ex ratiocinatione hac: „Nam cum in ea epistula (I.) causam reddit, cur versibus evangelium scripserit, Iuvenci, qui idem fecerat, haud quaquam meminit. Non enim culpa vacaret, si id sciens praetermisisset et eo magis, cum locus ipse exigeret, ut Iuvencum, quem imitaretur, habere se diceret." Non annuo, nam reliquos etiam auctores, quos secutus sit, celat. Ceterum iam ex Sedulii prologo metrico causas indicante quibus ductus ad condendum carmen se contulerit, satis elucet Sedulium ad Iuvenci praefationem spectasse (cf. inprimis vers. 20 seq.), quam poetae imitationem Iuvencianam in singulis versibus[1]) magis

[1]) Iuvencus.	Sedulius.
I 27 Nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta	*I 37 Haec mihi carmen erit mentes huc vertite cuncti*
I 807 Cuius anhela socrus aestu febrique iacebat	*III 32 Forte Petri validae torrebat lampadis aestu Febris anhela socrum . . .*

deprehendisse mihi videor. At tantum abest, ut putem Sedulium Iuvenci vestigia nimis pressisse, ut mihi persuasum sit inter utriusque opera discrimina intercedere haud negligenda. Iuvencus, cum hoc praecipue ageret, ut „Christi vitalia gesta“ ad fidem et verba evangeliorum narraret, evangelistarum verba inprimis Matthaei legibus artis metricae accommodare studebat, quantum fieri potuit. Itaque carmen effecit, quod mea quidem sententia humilitatem carminis cuiusvis ad historiae fidem compositi vix effugerit. Vide, quam acriter — ut eius est mos — iudicet Bernhardyus: „Wir können in dem Werke nichts mehr als einen trockenen Bericht erkennen.“ At Sedulius, quamquam omnino vestigiis librorum divinorum institit, magis leges poeseos quam fidem narrationis spectavit. Quapropter non absolvit omnem historiam sacram, sed eligit ex historiis commodissimas, contrahit hanc, amplificat illam, prout quaeque scenae quasi serviat. Praeterea discrimina nonnulla Ebertus apte denotavit in libro iam laudato (p. 362). Evangelistarum verba magis spectavit et pressit Sedulius in opere paschali condendo, quod „liberiore stilo descripsit“. Cf. ep. II. 1. Immiscet enim narrationi operis paschalis multa eaque ex evangeliis ad verbum repetita, quibus carminis arta vel obscura narratio amplificaretur et explicaretur. Narrat

Iuvencus.		Sedulius.	
II 442	*Et vos haud aliter gratis impendite dona*	*III 165*	*Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis.*
II 382	*Implorat lacrimans, certamque venire salutem*	*III 298*	*Imploratque gemens. . . .*
II 400	*Plangentis populi fremitus clangorque tubarum*	*III 134*	*Tibicines plangorque frequens confuderat aedes.*
II 523	*Redditur amissae lethi post funera vitae*	*IV 137*	*Et licet amissae passus discrimina vitae*
II 45	*Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater*	*IV 160*	*Nec tantum hoc gaudete viri, quod spiritus ater*
III 760	*Complentur mensae mixtae sine nomine plebis*	*IV 2*	*Iudaeae sectatus iter sine nomine mixtum Vulgus . . .*
II 645	*Nec genitor quemquam vestri, se iudice quaerit*	*IV 8*	*Nam quidquid natura negat se iudice praestat*
III 524	*Nam citius tenuis per acus transire foramen Deformis poterunt immania membra cameli.*	*IV 9*	*Namque foramen acus sicut penetrare camelus Membrorum . . . . nequit . . .*

haec poeta et se defendit ab obtrectatoribus epist. II. ita: „Tradita siquidem multa pro metricae necessitatis angustia priori commentario nequaquam videntur inserta, quae postmodum linguae resolutio magis est assecuta...... Sic et nostri prorsus a sese libelli non discrepant. Sed quae defuerant primis, addita sunt secundis. Nec impares argumento. vel ordine, sed stilo videntur et oratione dissimiles“. Ceterum opus paschale in multo minore pretio haberi Carmine, iam supra monui atque iterum moneo. Magnis angustiis metricae necessitatis circumstrictus est poeta schemate epanalepsis, quo usus est in hymno primo. At quo artificiosiores sunt versus, eo obscuriores etiam sententiae et verba, ita ut nisi litterarum sanctarum gnari scientesque carmen neque cognoscant neque percipiant. Candidus vero et mollis est sermo hymni alterius, qui dimetris iambicis acatalectis decurrit. Carmen ex animi sensu poetae compositum est.

Iuvenci Seduliique carmina epica quippe ad exemplar veterum carminum epicorum inprimis Virgilii composita et aequales et posteri tanta laude exceperunt, ut abhinc a christianis poetae gentiles aut spernerentur aut praeter illos etiam poetae christiani legerentur, (quod doctores christiani iamdudum frustra intenderant). Sedulii carmina eo maior gloria secuta est, quo magis Virgilii vestigiis institit. Hunc quasi alterum Virgilium per medium aevum habebant et admirabantur. Ex codicum manu scriptorum tanto numero facile concludimus, quanto amore poetam complexi sint et carmina arripuerint omnes. Parum abest, quamquam testimonia non habeo, quin affirmem pueros publice Iuvenci et Sedulii carminibus institutos esse, quippe quae materia tractata gentilium poetarum opera superarint, poeticis numeris fere aequaverint. Non multo post Asterii editionem instructam poetae antiqui: Liberius et Belisarius Sedulium versibus acrostichis ac telestichis (Sedulius: Antistes) exornasse et laudasse videntur, quorum carmina etiam nunc leguntur in Riesii Anthologia latina n. 492 et 493. Quo saeculo ambo floruerint, nondum exploratum est. At ne nomina quidem sunt satis certa. Inquiramus igitur, num codicibus possit disceptari. Codices R O (ap. Riesium) omittunt inscriptionem carminis alterius (492), inscribunt A et P „versus Bellesarii scolastici“, inscriptionem alterius (493) omittunt R A P, Liberti habet Barthii cod.

unus, Liberati liber Labbei et alius Usserii. Cod. Par. 13 377 sub eodem titulo „versus Bellesarii scolastici" ambo carmina exhibet, item cod. Par. 9347, titulum om. cod. Par. 14 143, sed carmina etiam coniuncta esse videntur. Codd. Marc. et Vind. 307 nonnisi carmen, quod dicitur Liberii, praebent inscriptione omissa. E codice Reg. Mus. brit. 15 B. XIX. s. IX nuper Zangemeisterus (l. c.) has inscriptiones prodidit, fol. 34v „*incipiunt versus Liberati scholastici de Sedulio. Sedulius domini — testudine versus item Sedulius xpi — escis.*" Haereo in eo, quod codicum nonnulli carmina, quae acrostichis simulque telestichis decurrunt versibus, ut ex inscriptione colligitur, uni eodemque auctori Bellesario vel Belisario tribuunt; cod. etiam Reg. 15 B. XIX. eadem carmina Liberio adscribit, ut illud „item" indicare videtur. Quae cum ita sint, valde mihi arridet Arevali commentum (praef. p. 93): fortasse de uno poeta esse cogitandum, cui nomina D. (quod etiam codd. exhibent cf. Arev. praef. p. 92) Liberius (?) Bellesarius (Belisarius) fuerint — sed adhuc sub iudice lis est. Ut tamen firmem, quae supra de laudibus Sedulii breviter dixi, iam veterum et recentiorum congeram testimonia et iudicia multa, non omnia.

III. De Sedulio veterum et recentiorum testimonia.

Asterii in Sedulii opera epigramma, decretum Gelasianum, scriptorum rei ecclesiasticae litterariae testimonia nonnulla iam supra memoravimus. Laudat Sedulium locis tribus Cassiodorius Senator, cf. de inst. div. litt. c. 27. (Mign. t. 70. p. 1142). „Opus quidem, ut arbitror, necessarium, sed considerata difficultate perarduum, in duobus libris comprehendere velle divinarum et humanarum fontes copiosissimos litterarum. Ubi Sedulii versus illi dicendi sunt:

Grandia posco quidem: sed tu dare grandia nosti,
Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit. (I 349 s.)

Expos. in Psalterium, ps. 36. conclusio (Mign. t. 70. p. 274) „Rogemus ergo inseparabilem Trinitatem, ut haec vestis et nos protegat atque intra sinus gratuita dignitate concludat. Quo loco Sedulii verba mutuanda sunt:

Grandia posco quidem, sed tu dare grandia nosti."

Expos. in Psalt. ps. 113, 12. (Mign. t. 70. p. 814).

„Quibus etiam Sedulii (ut ita dixerim) poetae veritatis versus illi repetendi sunt:

Lignee ligna rogas, surdis clamare videris:
A mutis responsa petis . . . .“ (I 168 s.)

Lactantius (vel Lutatius) Placidus, Papinii Statii scholiastes, ad Theb. VIII 286. „Achaemenius patrium est, i. Chaldaeus. Achaemenia ipsa est Chaldaea vocata ita a quodam crudelissimo rege, de quo in Sedulio legitur:

Cuius Achaemeniam rabiem accenderat ira[1]
Plus fornace sua . . . (I 200 s.)

non enim poterat eius ira placari nisi humano sanguine.“ Sic in Statii editione, Venetiis quae ann. 1508 prodiit.

Venantius Fortunatns, misc. VIII. c. 1. L.

Quod tonat Ambrosius, Hieronymus atque coruscat
Sive Augustinus fonte fluente rigat,
Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus
Regula Caesarii linea nata sibi est.

Vita Martini I, 16 s.

Primus enim, docili distinguens ordine carmen
Maiestatis opus metri canit arte Iuvencus:
Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.

Isidorus Hispalensis, Orig. lib. XX. c. 4.

„Arretina vasa ex Arretio, municipio Italiae, dicuntur, ubi fiunt: sunt enim rubra. De quibus Sedulius:

Rubra quod appositum testa ministrat olus.“ I 16.

Eiusdem alia testimonia confer supra p. 7 [2])

Inter Ildephonsi scripta dubia legitur: sermo V. de assumptione b. M. (ap. Magn. t. 96. p. 207):

„Circa sepulturam vero dominicam multo magis quam mulieres illas sanctas quidam dicunt fuisse sollicitam (Deiparam sc.), quorum opinionem, nisi fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius, poeta evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus“ (cf. V 323, 361).

Ecclesiae britannicae clarissimi auctores: Aldhelmus et Beda Venerabilis Sedulii saepe mentionem faciunt, praesertim ut eius versibus leges rei grammaticae et metricae illustrent

[1]) Ex recensione Arevali:
Cuius Achaemeniam rabies accenderat iram.

[2]) Cf. etiam Isidoriana (ap. Mign. t. 81. p. 880).

atque firment. De Aldhelmo cf. A. Mai. (auct. class. t. V. p. 525, 529, 538, 549, 562, 571, 574). Idem in libro „de virginitate" sub nomine vatis Sedulii versum citat (cf. Mign. t. 89. p. 237)

Si mutante deo, mutantur corda ferarum,
Quamvis stultorum torpescant corda virorum.
Ut quondam vates cola cum commate prompsit:
Edidicere[1]) *truces praedam servare leones.* (I 219)

„de virg." pros. c. 2: „Cuius artis molimen egregius poeta metrica facundia fretus . . ." Vide etiam supra p. 13.

Beda Venerabilis poetam non solum saepe in libro illo „de arte metrica" memorat, sed etiam in aliis scriptis cum laude nominat ut: de orth. (Giles VI. p. 39), in libros regum 28. (Giles VIII. p. 257), opusc. mor. (G. I. 219), hist. eccl. V. 18., in Lucae evangelium c. XXIII. (G. XI. p. 362): „Sedulius in paschali carmine pulchre versibus dixit:

Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam . . ."
(V 188—195), aliis locis.

Adnotat auctor „gestorum abbatum Fontanellensium" ad annum 742 (gesta Wandonis abbatis) cf. Pertz. Mon. II. p. 287 „Dimisit autem in ecclesia sancti Petri offertorium argenteum cum patena . . . . . Codicum etiam copiam non minimam, quod dinumerare oneri est. Sed aliquos ob memoriam illius inserere placuit, id est codicem unum Romana litera scriptum, in quo continetur expositio etc. . . . Item sancti Athanasii Alexandrinae urbis episcopi, de eadem re. Item in eodem libri quatuor evangeliorum expositionem continentes editam a Sedulio, viro scholasticissimo ad Macedonium presbyterum."

Alcuinus, de pontif. et sanctis ecclesiae Eboracensis carmen v. 1550. s. (Monum. Alcuiana ed. Jaffeus t. VI.)

Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Iuvencus,
Alcimus et Clemens, Prosper, Paulinus, Arator,
Quid Fortunatus, vel quid Lactantius edunt.

Eiusdem epistula 31 (Jaffé. VI. p. 239) „. . . Iudam . . . . non apostolici nominis dignitas a tanti sceleris perpetratione

---

[1]) *Et didicere* . . . edit.

cohibuit, qui cognita sui sceleris nequitia indignam vitam digna morte finivit, de quo ait Sedulius:

Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus"

(V 138)

Confer insuper Arev. praef. p. 100. et supra p. 44.

Libri Carolini, Capitul. de imag. lib. II. c. 30 (ap. Mign. t. 98 p. 1100)

„Eo etenim tempore, quo Moyses cum populo dei in eremo morabatur et praecipiente Domino sacrae legis doctrinam et caeremoniarum sacratissimos ritus populo tradebat et genus humanum ad divini cultus eruditionem informabat, Cecrops quidam rex Atheniensium daemonico illectus veneno rudes gentilium mentes ad imaginem simulacrorumque et vanorum deorum culturas excitavit, et quo tempore populus dei mandata vitae percepit, hoc ille illiciendis animabus perpetuae mortis pocula et diuturni erroris seminaria praeparavit, de quo est illud Sedulii:

Quos lethale malum, quos vanis dedita curis
Attica Cecropii serpit doctrina veneni." (I 39 s.)

Appendix ad Caroli Magni capit. de imag. (M. t. 98 p. 1321): „Sedulius in libro IV. paschalis carminis:

Pax cruxis ipse fuit, violentaque robora membris. . ."

(V 184—195).

Teudulfus, episcopus Aurelianensis, carm. l. IV. c. 1. (ed. Sirm.)

Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
Quorum sunt subter nomina scripta vide:
Sedulius, Rutilus[1]*, Paulinus, Arator, Avitus*
Et Fortunatus, tuque Juvence, tonans!

Smaragdus abbas, collectiones in epist. et evang. (ap. Mign. t. 102 p. 188) „Qualiter sane Dominus in cruce positus, quidve eadem sacratissimi corporis positio regalis in se typo contineat, Sedulius in Paschali carmine pulchre versibus dixit:

Protinus in patuli suspensus culmine ligni
Religione pia mutans discriminis iram . . ."

(V 182—195).

---

[1]) *rutilus*, alii.

Claudius Taurinensis episcopus, quaest. XXX super libros regum, lib. IV. (Mign. t. 104 p. 805)

„Ut enim eidem currus et equos tribuant de miraculo sumptum Eliae prophetae, quia curru igneo et equis igneis est raptus ad coelum, Iohannes Constantinopolitanus episcopus aestimat, quia enim graece ἥλιος dicitur sol, sicut etiam Sedulius, cum de Heliae ascensu caneret, ostendit dicens:

Quam bene fulminei praelucens semita caeli. . . ."

(I 184—187).

Dungalus Reclusus, adv. Claud. Taur. (Mign. t. 105 p. 495)

„De domini cruce colenda Sedulius in libro IV. Paschalis carminis ait:

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris. . . ."

(V 184—195).

Ermoldus Nigellus, in carmine, quod exul in honorem Hludowici christianissimi Caesaris Augusti, composuit, Sedulium primum omnium poetarum christianorum ponit, l. I 15 s. (cf. Pertz. Mon. II p. 464).

Non ego gestorum per singula quaeque recurram,
Nec fas, nec potis est, nec valet ingenium,
Si Maro, Naso, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,
Tullius et Macer, Cicero sive Plato,
Sedulius, nec non Prudentius atque Iuvencus
Seu Fortunatus, Prosper et ipse foret:
Omnia famosis vix possent condere cartis
Atque suum celebre hinc duplicare melos.
Ast ego lintre rudi rimoso navita remo
Inmensi pelagi aequor adire volo. [1])

Godescalcus in schedula ad Hincmarum (Mign. t. 121 p. 479). „Pari etiam modo, cum dicitur, trina vel terna fides, ut est illud Sedulii, fidelis poetae tui:

Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur unam." (I 324).

In hac utriusque controversia (de trina deitate) Hincmarus etiam Sedulium non semel laudat et eius auctoritate nititur.

---

[1]) Cf. Sedulii epist. I. ad Macedonium. . . . utpote qui nulla veteris scientiae praerogativa suffultus tam immensum paschalis pelagus maiestatis et viris quoque peritissimis formidandum, parva tiro lintre cucurrerim.

Ionas Aurelianensis episcopus, de cultu imag. II (Mign. t. 106 p. 348) „Qua propter merito a Christo electa est crux, in qua et singulariter occumberet et communi sorte moreretur. Sedulius in tertio libro Paschalis carminis:

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris . . ."

(V 184—195).

Hrabanus Maurus, Comm. in Matth. l. I. c. 1. (ap. Mign. t. 107 p. 744) „Et Sedulius in carmine paschali ita proloquitur:

Gaudia matris habens cum virginitatis honore
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem
Sola sine exemplo placuisti femina Christo."

(II 67—70).

Idem, in libros IV regum comm. l. IV. c. 23 (ap. Mign. t. 109 p. 268). . . Quia enim graece helios dicitur sol, sicut et Sedulius cum de Eliae ascensu caneret, ostendit dicens:

Quam bene fulminei praelucet semita caeli
Convenit Heliae . . . (I 184—187).

Cf. insuper Arev. praef. p. 97.

Paschasius Radbertus, de partu virg. lib. II. (ap. Mign. t. 120. p. 1385). „Quodsi talibus et huiuscemodi pateretur puerpera tormenta, procul dubio virgo non esset, quia virginalis integritas violata esset. Hinc Sedulius, rhetor romanae ecclesiae, in paschali suo opere ait: Infans namque etc. Unde adhuc idem: Verae divinae generationis etc. Nihil ergo apertius dicere queunt, nihil manifestius hic sancti doctores de partu Virginis." Cf. ibidem p. 1268.

Notkerus Balbulus, de interpr. sacr. script. (thes. anecd. Pezii I 7). „. . Iuvencum et Sedulium Oratorem[1]), hymnosque Ambrosianos scio, quia iam memoriae commendasti."

Asserius Menevensis, de rebus gestis Aelfredi, c. 1. (cf. supra p. 14 et Arevali praef. p. 110).

Chronicon Benedictoburanum (Pertz. t. IX p. 223) de Abbate Gothelmo. Anno domini 1032. Commemoratio rerum, quas acquisivit vel invenit in prediis, in libris et in ecclesiasticis rebus: . . . . libri poetarum Boetii, Sedulii, Prosperi et alii."

---

[1]) Aratorem, coniecit Arevalus.

Chronicon mon. Casinensis auctore Petro (Pertz. t. IX. p. 746) (ad annum 1097. dec. 1.). „Non solum autem in aedificiis verum etiam in libris describendis operam Desiderius dare permaximam studuit. Codices namque nonnullos in hoc loco describi praecepit, quorum nomina haec sunt: Augustinum contra Faustum. De opere monachorum ... Hilarius mysteriorum et ymnorum. Sedulium de evangeliis. Iuvencum de Evangeliis; ....“ Cf. et Mon. VIII. p. 746 seq.

Thomas Cisterc., Comm. in cant. cant. (Mign. t. 206 p. 392). „Quartum lavacrum dicitur fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Et Sedulius:

... fonte superno
Laetificata seges spinis mundatur ademtis (I 56 seq.).

Testimonia Sigeberti Gemblacensis, Honorii Augustodunensis, anonymi Mellicensis, Trithemii iam supra momoravimus. Addo nonnulla e chronicis exarata.

Gesta abbatum Horti S. Mariae (1230—1259) Cf. Pertzii Mon. XXIII. p. 583 (de magistro Fretherico) „Auctoristam ipsi (sc. Fretherico) similem Fresia vix habebat; Persium, Iuvenalem, Virgilianos, Oratianos, Ovidianos, quos habebat pro multa parte corde tenus, et sciebat et legebat, in quibus legendis et relegendis iuvenis existens, ut quandoque ipsum audivi dicentem, quam plurimum iocundabatur et delectabatur. Etate vero succedente, ut pro parte cognovi, certe non sic. Nam libris istis gentilium sepositis, in libris catholicis videlicet Boecio, Prudencio Aurora (sic!), Aratore, Sedulio, Florido aspectu, Iob et Thobie libris ac ceteris, quos longum est enarrare, suorum scolarium ingenia exercebat.“

Chronicon Menkonis (a. 1234—1273) Pertzii Mon. XXIII. p. 524. „Reverendus siquidem pater (sc. Emmo) a primis infantiae rudimentis studiis litteralibus implicitus adeo inter scolares alas fuit in scripturis studiosus, ut aliis conscolaribus ludentibus et discurrentibus nunquam ociosus inveniretur, nisi aut studeret vel scriberet vel illuminaret. Unde contigit, ut omnes auctores, videlicet ethicos, Ovidianos, Virgilianos, satiricos et alia opera poetarum et metrica opera

theologie, ut Auroram (Aratorem?), Sedulium, Theopistam (?), Priscianum maiorem et minorem . . . cum fratre suo bone memorie domno Addone plene conscriberet.“ [1])

Vetus auctor vitae Adalberonis (ap. Pez. script. rer. Austr. t. 2. p. 6).

„Philosophi . . . . cursus, vias, virtutes siderum rimati sunt, terrarum spatia et caetera hominibus incognita sollerti investigatione perdidicerunt.

Sic sua gentiles studuerunt ficta Poetae
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu.“ (I 17 s.)

& ritu magistro pulchra mendacia sua parum posteritati futura, pulchris aenigmatum adumbrare & includere figuris.“

Engelbertus († 1331), de grat. et virt. M. prooem. c. 2. (ap. Pez. thes. anecd. p. 568).

„Et hoc Sedulius etiam in suo paschali opere scribit, quod matri ante omnes primo apparuit, sicut dignum fuit . .“

Post litteras renatas Sedulii carmen paschale versibus exornaverunt: Michaelis Reiser Ambergensis sic:

Perlege sedulii magnum sine murmure vatis
Delectum carmen, lectio digna deo,
Nam iuvenum reficit mentes redditque beatos
Et sua doctorum phama per ora volat
Non thais, aut sapho non est hic lesbia virgo
Sed christi castus cum pietate timor.

Winhemius: „Ad charissimum sibi germanum Matternum hattenavium Spirensem Nicholai benevitalis winhemii in Sedulii carmen paschale decasticon.

---

[1]) Saeculo exeunte X. in monasterii S. Emmerammi Ratisbonensis bibliotheca Sedulii etiam libros collocatos fuisse, cognoscitur ex catalogo, quem discripsit Iaffeus (cf. Pertz. Mon. XVII. p. 568.) „Incipit abbreviatio librorum S. Emmerammi, quae tempore Romualdi abbatis (sc. 975—1080) facta est. Servii 2. Commentum Remigii super Marcianum . . Sedulii 7. Eutichii 5. . . . Commentum Remigii super Sedulium. Glosae super Virgilium . . .“ Cf. etiam catalogum codic. Laurish. (ap. Wilmanns. der Katalog der Forscherbibliothek Rhein. Mus. XXIII. p. 385 seq.) et veteres catalogos, qui adnectuntur codd. Bern. III b (cf. H. Hagen. zwei Handschriftenkataloge des X. Jahrh. Jahn's Jahrb. 1969. p. 518) Gen. 21 s. X, Gen. 84 s. XI. (H. Hagen. zwei Handschriftenkataloge aus dem Mittelalter, Jahn's Jahrb. 1877. p. 863 seq., Birlinger. Bücherverzeichnis d. Klosters Pfäffers, Zeitschr. f. d. Alterth. 1872).

Si carpsisse iuvat veteri de lege medullam
Atque nova. eximium perlege frater opus
Quod si te oblectant vel carmina vel sacra christi
Gesta. tuo cordi consona digna feres.
Fac ergo hoc doceat pueros preceptor amatos
Libro. lascivis nam caret ecce modis
Tam bene (crede mihi) conducent nostra legenti
Quam si vel relegant dulce maronis opus
Huic omnes cedant vati, qui mollia fingunt
Carmina, quae venerem sepe ciere solent.

Haec carmina leguntur in Sedulii operis editione Spirae a Conrado Hist. Cive Spireñ. Anno domini MDI absoluta, cui editioni inscripsit idem: Paschale quod Sedulius carmen dedit. Discipulus. Doctor legat. et monachus.

Nam puerorum studio
Scientium solatio.
Monasticho Enchiridio.

Plus fiet his facilius
Reddetur et honestius
Multoque lectu dignius.

Quam sit salax Ovidius
Grandiloquus Virgilius
Urbanus et Therentius.

In fine veterum testimoniorum et elogiorum pono Iani Parrhasii eximia verba, quae praefatus est in editione Mediolani instructa anno 1501. (Inspexi hanc editionem in bibliotheca Marciana Venetiis).

„... venit ecce in manus Sedulii carmen paschale: granditate heroicum: argumento divinum, quippe quod religionis nostrae caelestia mysteria complectatur. Ingemui, fateor, quod maximus christiani nominis assertor in tenebris et situ iaceret, quodque magis dolendum erat, illustratis etiam alienigenis vatibus et quorum lusus ad nullam bonam frugem perducunt, idque ferendum nullo pacto statui. ..."

Praeter testimonia et iudicia a me exarata exstare alia, fortasse tu dicas — neque ego ignoro (ut ap. Pitram. Spic. Sol. t. III p. 106, 126, 156, 525. Bolland. d. 19. Mai etc.).

Non enim hanc materiam ex omni parte absolvere statui, sed id tantum demonstrare volui Sedulii carmina per medium aevum pervulgata et praeclara habita esse. Ut tamen pernoscatur, quanta poetae fuerit auctoritas in re grammatica et metrica, aliquot locos e grammaticorum medii aevi scriptis propono.

In Keilii gramm. lat. tom. V. p. 579. 20 legitur:

„Gladius generis masculini ut Sedulius I 167.

fervidus ingentem[1] *gladius consumeret hostem.*"

p. 571 (nomine Sedulii omisso).

„Arvum generis neutri, ut illud „incolite arvum" pluraliter arva „Galilaeaque arva". (cf. Sed. IIII 189 *Galilaea per arva*) — H. Hagenus, in Anecdotis Helveticis, quae ad grammaticam latinam spectant, e cod. Bernensi 123 s. X. edidit p. XXXVI.

„Numquid licet nobis alias partes orationis pro interiectionibus ponere? Licet quidem et singulares et plures, ut nefas, pro nefas, pro Iupiter, pro dolor, ut Sedulius:

Pro dolor! aeterni fuerant duo. Crescere postquam

Coepit origo, perit, clademque a semine sumpsit." (II 9 s.)

cf. et p. 266, 5.

p. CXI. in Commentis in Donati artem secundam e cod. Bernensi 386.

„Edo multos sensus habet: quando equaliter declinatur edo edis edit, significat parturio sive informo unde Sedulius:

Edidit et serum suspendit ad ubera natum" (I 113)

p. CCXXXI. (De Iuliano Toletano grammatico cum excerptis ineditis) „Da ubi r liquiscat.

Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis." (I 159)

p. CCXXXIII 20. (idem de accentibus).

„Inter „pone" et „pone" quid distat? Si dixero „pone" et paenultimo loco habuerit accentum, erit verbum imperativi modi. Da eius exemplum.

Pone supercilium, si te cognoscis amicum." (I 3)

p. CCXXXV. (idem de metaplasmo).

---

[1]) *ingente MVL.*

„Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi ut „audacter“ pro „audaciter“ et „norat“ pro „noverat“. Sedulius:

Quam norat non esse Dei; passimque catervas.“ (III 43)

p. 257, 24. glossa codicis Bernensis f. 12^b marg. sin.

„Lego (Don. p. 384, 33) multa significat .... et lego est navigo, ut est illud: „legebam Cretam“ i. navigabam. Et Sedulius:

arva legens dominus placidas pervenit ad undas“

IV 100 (ex rec. Arev.

Arva legens, placidas Dominus calcaret arenas)

p. 100, 2 (ars anonyma Bernensis).

„Vocativus autem † in dai o[1]) ee terminatus invenitur, sicut in Sedulio legitur:

Lignee ligna rogas, surdis[2]) *clamare videris*“ (I 268)

p. 184, 20. (quaestiones gramm. cod. Bern. 83)

„Saepe siquidem („patet“ vocabulum) solo gaudet nominativo, ut Augustinus .... Sedulius:

Pervia divisi patuerunt caerula ponti“ (I 136)

Locum mendosum p. 186, 18 emendavi in ann. gym. Austr. 1877. p. 336.

In Thurotii annotationibus e codicibus Parisinis haustis (Notices et extraits des manuscr. Paris. 1858 t. 22.) saepius Sedulii mentio fit, inprimis p. 436. E cod. 8175. f. 41 v°:

„Sedulius tamen breviavit. i. in hac dictione tibicen, ut in illo versu (III 134) *tibicines plangorque frequens confuderat edes* („*tibicen*“ editores. Cf. infra)

Cum Sedulii verba et versus tanta fuerint auctoritate et poetam tanta gloria secuta sit, non mirum esse videtur eum ut Virgilium imitatores habuisse non paucos.

Primus Arator, ut Aldi Manutii verbis utar, contulisse se ad scribendos Actus Apostolorum idcirco versibus dicitur, quod fecisse idem in evangelio Iuvencum et Sedulium vidisset. (Id vero in eo Aratore licet videre, qui Venetiis et in D.

---

[1]) Fortasse „duo“, interdum in ee coniecit Hag. in adn.

[2]) Cod. *sordiis quedam a re videris.*

Georgii cognomento Maioris et Deiparae semper Virginis in Hortis bibliotheca alligatus est.)

Amoinus, monachus Floriacensis de gestis Francorum lib. III (cf. M. Bouquet, Recueil des Historiens des Gaules et de la France t. III. p. 93) ad annum 584 de Chilperico rege annotat: „Ipse namque omnes sui temporis sapientes scientia se anteire existimans composuit duos libros imitari Sedulium volens, in quibus plurimi versus scazontes erant, breves quoque syllabas pro longis longosque pro brevibus continebat.“ Idem fere refert chronicon Denisium (cf. Bouquet. l. c. III. p. 239). Quorum chronicorum auctores Gregorium Turonensem illum secutos esse, testantur verba hist. francog. V. 25 (a. Mign. t. 71. p. 161) de Chilperico: „Scripsit alios libros idem rex versibus quasi Sedulium, secutus sed versiculi illi nulli penitus metricae conveniunt rationi. VI. 46. Confecitque duos libros quasi Sedulium meditatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt, in quibus dum non intelligebat, pro longis syllabas breves posuit et pro brevibus longas statuebat.“

Beda, hist. eccl. V 18 (ap. Mign. t. 95. p. 261). „Scripsit et de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere et versibus hexametris et prosa composuit (Aldhelmus).“ Hrabanus Maurus, Sedulii exemplo ductus, carmina sanctae crucis laudi dicata, etiam sermone pedestri circumscripsit. At plures auctores medii aevi Sedulii vestigia in singulis sententiis ac versibus presserunt. Habemus praeclarum exemplum talis imitationis, versus si respicimus praefationis metricae, quibus poeta se defensurus est, cur materiam sacram omnino carmine tractaverit.
Sunt autem hi I 17 seq.

Quum sua gentiles studeant figmenta poetae
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu,
Ridiculove Geta, seu qualibet arte canendi
Saeva nefandorum renovent contagia rerum,
Et scelerum monumenta canant rituque magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego davidicis assuetus cantibus odas

. . . .

Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Quum possim manifesta loqui, Dominumque tonantem . . . .

Cum his velim conferantur: Godescalcus (s. VIII) Vit. S. Landeberti ap. Mab. Act. S. III p. 61.

„Si pagani figmenta saeva et nefanda prolixa studeant pomposa plurima mendacia codicibus suis commendare, ut eorum vana gloria discurrat; cur nos Christiani salutiferi taceamus miracula Christi, cum possimus etc.“

Walafridus Strabo (s. IX) Vit. S. Blaitmaici ap. Mab. Act. S. IV p. 398.

Si tantam meruere pro carmine famam,
Qui scelerosorum mores et facta tulerunt
Laudibus in coelum, perfusi daemonis arte,
Frivola nectentes hominum monimenta malorum:
Cur non liberius sanctorum facta canamus?

Yso magister (s. IX) de mirac. B. Otmari ap. Pertz. Mon. II p. 52.

„Non pomposa verborum complexione supervacuam laudantium gloriam aucupantes, sed dictorum tantummodo simplicitate veritatem rerum quaerentibus ostendere cupientes . . .“

Vita S. Remacli auct. anon. (s. IX) ap. Mab. Act. S. II p. 469.

„Cum sit studium gentilium sua figmenta et vanos ritus errorum luculenter aptare obscoenis carminibus, eaque commendent in perpetuam memoriam sibi subsequentibus: cur ego sileam nec proloquar manifesta opera Christi?“

Vita S. Mederici auct. anon. (s. X) ap. Mab. Act. S. III p. 7.

„Si saecularium scriptores litterarum famosa quorundam gesta pomposo studuerunt prosequi stilo, famamque ipsorum ad notitiam posterorum prolixam tam prosaico quam metrico deducere certaverunt eloquio, suam utique volentes ostentare sapientiam . . . cur veri Dei cultores“. . .

Translatio S. Theobaldi auct. anon. (circa 1080) ap. Mab. Act. S. IX p. 175.

„Mortalium laudes et humanas infulas antiqui poetae soliti pompare tyrannorum regumque victorias in publicis theatris enarrare — Illa vero tanquam umbra praeterierunt. Nos vero qui super Pythagoram et Empedoclem perennis vitae cupimus heredes fieri, Syrenarum relinquentes cantum et philomelae spernentes lascivam melodiam, coelestis regni callem — aggredi satagimus.“

Vita S. Geraldi auct. anon. (c. s. XII int.) ap. Mab. Act. S. IX p. 851.

„Nemo enim sanum sapiens phalerata verborum figmenta debet attendere, sed utrum catholicum sit, quod attendit mentis intuitu subtiliter perspicere.“

Vita S. Galterii auct. anon. (c. s. XII int.) ap. Mab. Act. S. IX. p. 802.

„Cum veterum dicta et facta gentilium tenaci memoria scriptis suis — et facetissima verborum suavitate extulisse figmenta sua antiquissimos poetas utique ethnicos videamus: dignum videtur militum caelestis Regis etc.“

Denique diu multumque ambigebant viri docti, quemnam secutus esset auctor versuum, qui praemittuntur praefationi aureae bullae Caroli IV. imperatoris anno 1356 editae (cf. Friedemann, Zeitschr. f. Archive Deutschl. I p. 199):

Omnipotens, aeterne deus, spes unica mundi,
Qui coeli fabricator ades, qui conditor orbis,
Tu populi memor esto tui: sic mitis ab alto
Prospice, ne gressum faciat, ubi regnat Erinnys,
Imperat Alecto, leges dictante Megaera;
Sed potius virtute tui, quem diligis, huius
Caesaris insignis Karoli, deus alme, ministra,
Ut valeat ductore pio per amoena vireta
Florentum semper nemorum sedesque beatas
Ad latices intrare pios, ubi semina vitae
Divinis animantur aquis, et fonte superno
Laetificata seges spinis mundatur ademptis,
Ut messis queat esse dei mercisque futurae
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.

Annotavit ibidem G. Leonhardius „Kenner werden die Anklänge eines Horaz und Virgil sogleich erkennen“. At quivis videt versuum maximam partem e Sedulii carmine paschali esse repetitam, v. 1, 2 = C. p. I 60. 61, v. 8 ... *per amoena vireta* — v. 14 = C. p. I 53—60. Nolo praeterea inquirere in singulos versus, quantum poetae medii aevi Sedulii vestigiis institerint. Nam plerumque diiudicari non potest, utrum poeta Virgilium an Sedulium imitatus sit aut imitari voluerit. Quod ut illustretur, iam fusius tractabo Virgilii imitationem Sedulianam.

IV. Virgilii imitatio Seduliana.

Iam supra quaestione tetigimus, quomodo factum sit, ut Sedulii carminibus mox faverent ii, qui gentilium poetarum maxime studiosi fuissent antea. Delectabantur enim Sedulii versibus quippe ad Virgilii exemplar aliorumque praestantium poetarum gentilium effectis eo magis, quo maius tum temporis studium Virgilii carminum erat. Iam etiam materia evangeliorum Virgilianorum versuum melle dulci perfusa non spernebatur immo divulgabatur. De Virgilii imitatione Seduliana iam alii cogitaverunt et iudicia tulerunt, quorum non probandum est illud Baehrii (R L G². p. 107), mihi maxime probatur Barthii, quippe hominis ingeniosissimi, hoc Advers. p. 475: „Inter christianos poetas Virgilianam phrasin nemo magis comiter servavit, quoad eius per rerum alienitatem saeculique alterationem fieri potuit, quam Sedulius optimi ingenii inter eorum plerosque: licet naevos etiam habeat non tam quidem suos quam seculi, quod fuit etiam veterum iudicium, ut patet ex epigrammate quopiam vetusto. Hic vero non phrasin tantum, sed ipsas poetae copiosas figuras ornatusque loquendi exprimit.“

I. Res simillimae vel quae aliqua ex parte possint conferri iisdem vel fere iisdem versibus a Sedulio describuntur, qui in Virgilii carminibus legantur:

Carm. pasch. II 6 seq. ed. Arev. (de Eva et dracone).

. . . . Heu! noxia coniux,
Noxia tu coniux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia coniux.

Virg. Ecl. VIII 47—50 (de Medea et Amore) [1])

. . . . Crudelis! tu quoque mater.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer; crudelis tu quoque mater.

---

[1]) Cf. de hoc loco meam disputatiunculam in ann. gym. Austr. 1877, p. 421 seq.

II. 127 s. (Sedulius Herodem alloquitur, cum liberos occidi iussisset)

Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia sensus?
Quosve dabas fremitus, quum vulnera fervere late
Prospiceres arce ex summa, vastumque videres,
Misceri ante oculos tantis plangoribus aequor!

Virg. Aen. IV 408 s. ed. Ribb. (Virgilius Didonem alloquitur, cum profectionem a Troianis parari vidisset)

Quis tibi tum [2]*), Dido, cernenti talia sensus,*
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!

Vides Sedulium Virgilii versibus adeo delectatum esse, ut etiam vers. 411 retinuerit, qui, ut videtur, parum quadrat ad rem a Sedulio tractatam. Itaque viri docti alii aliter locum vel explicare vel emendare conabantur. Non displicet Arntzenii opinio pro „*aequor*" „*aethra*" esse scribendum: At cum verbum „*aequor*" in optimis codicibus mss. legatur, necesse est nos explicationem, quae possit ferri, investigare. Cuius ansam mihi Sedulius ipse praebere videtur his prosae verbis „. . . quos fremitus eructabas accensus, quum insontium vulnera parvulorum ex arce summa prospiciens vastum pelagus lacrimarum cerneres inundatione collectum?" Ex his satis patet „*aequor*" esse genuinam lectionem.

II 293 s. [De dextra semita bonorum — de sinistra malorum]

. . . Dextrum quicunque necesse est,
Aut laevum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
Semita conspicuos vocat in sua gaudia iustos,
Inque tuos, Patriarcha, sinus: at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.[2])

Virg. Aen. VI 540 s. [De duabus viis: ad Elysium — ad Tartara]

Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,

---

[1]) Codicis Medicei lectio „*tunc*" Seduliano loco comprobatur.

[2]) Nonnulli codd. exhibent „*ducit*". Loco Virgiliano codicis vetustissimi Taurinensis lectio „*mittit*" comprobatur.

Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas et ad impia Tartara mittit.

Poetarum gentilium more locus, ubi mali post mortem versantur, a Sedulio [1]) Tartara nuncupantur etiam III 337 cf. I 221, IV 285 *Tartara dissiliunt,* I 53 *Tartarei cibi,* V 137 *Tartareum profundum.*

I 305 s. [De Arrio impio]

Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura, caducorum gradibus simulavit honorum.
. . . .
(312) At Dominus, verbum, virtus . . .

Virg. Aen. VI 590 s. [De Salmoneo impio]

Demens, qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens . . . .

I 53 seq. [Loca fortunatorum describuntur]

. . . . sed amoena vireta [2])
Florentum semper nemorum, sedesque beatas
Per latices intrate pios, ubi semina vitae
Divinis animantur aquis, et fonte superno
Laetificata seges spinis mundatur ademptis.

Virg. Aen. VI 638 s.

Devenere locos laetos et amoena virecta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.

I 99 seq. [Si centum mihi linguae sint] [3])

Nam centum licet ora movens, vox ferrea clamet,
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,

---

[1]) Idem Deum Jovis nomine epitheto (Tonantis) exornare non veritus est. Cf. II 205 *(de te mandasse Tonantem)* V 17 *ab ore Tonantis.* V 72.

[2]) Cum cod. Taur.

[3]) Cf. Zingerlein. (Ovidius u. sein Verhältn. etc. p. 70) ibidem. Hom. Il. II 489: οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

Augeo exempla: Priscianus de laude imper. Anast. (Endl.) p. 5 v. 13.

Non mille dentur si mihi linguae.

Orientius episc. (bibl. patr. m. t. 8. p. 878)

Non mihi si linguae centum oraque centum.

Teudulfus Aur. II. p. 738 (Sirm.)

Si mihi mille forent centeno in gutture linguae.

Cuncta quis expediet, quorum nec lucida caeli
Sidera, nec bibulae numeris aequantur arenae?

Virg. Aen. VI 625 s.

Non, mihi si sint linguae centum sint oraque centum
Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas
Omnia poenarum percurrere nomina possim.

cf. etiam Ge. III 43.

Virg. Ge. II 105 s. (*numerus*)

Quem scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae zephyro turbentur harenae.

[De veneno in viscera irrepente]

I 39 s. *Quos letale malum, quos vanis dedita curis*
Attica Cecropii serpit doctrina veneni.

Virg. Aen. VII. 374. s. (*Latinum*)

Contra stare videt penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum totamque pererrat.

[Quantum distat]

I 45 s. *Labruscam quid adhuc praeponitis uvis,*
Neglectisque rosis saliuncam sumitis agri?

Virg. Ecl. V 16 s.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.

[De igne]

I 128 . . . *nec iuncta calori*
Materies alimenta dabat, nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis aestu
Frondea blanditae lambebant robora flammae.

Virg. Aen. I 176 . . . . *atque arida circum*
Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam

— Aen. II 684

Lambere flamma comas et circum tempora pasci.

[Draconis (anguis) descriptio ex versibus Virgilianis consuta]

I. 132 s. (*draconem*)

Per flexos sinuata globos, linguisque trisulcis
Squamea colla tumens, inimicos ore chelydros
Sorbuit . . . .

Walafridus Strabo (bibl. patr. Lugd. XV. p. 228)

Si mihi centenas linguas natura pararet.
Oribus . . . . .

Virg. Ge. I 244 *Maximus hic flexu sinuoso*[1]) *elabitur anguis*
G. III 439 . . *linguis micat ore trisulcis*
Aen. II 381 . . *et caerula colla tumentem*
G. III 415 . . *graves nidore chelydros.*

[De filio sero]

I 110 s. . *seniore viro . . .*
. . . *spem gentis opimae*
Edidit et serum suspendit ad ubera natum[2])

Virg. Aen. VI 763 . . . *tua postuma proles*
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem regumque parentem.
— Aen. III 392 . . . *albi circum ubera nati.*

[De aquarum — de segetum intemperie]

I 152 s. *Rursus in exustis sitiens exercitus arvis,*
Qua nimium loca sicca diu, qua terra negatis
Aegra iacebat aquis, qua spes ablata bibendi.

Virg. Aen. III 141 s.
. . . *tum steriles exurere Sirius agros,*
Arebant herbae et victum seges aegra negabat.

Pergit illo loco Sedulius:
Vivendique fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas[3]), *sterilique latex de rupe cucurrit.*

Sic editores Arevalus Arntzenius Grunerus Cellarius alii. Libri mss. aut „*cucurrit*" aut „*manavit*" aut $\frac{\textit{cucurrit}}{\textit{manavit}}$ exhibent. Monet locus Virgilianus Ae. III 43 . . *aut cruor hic de stipite manat*" ut lectionem „*mănavit*" praeferamus. Hanc meam opinionem optime firmat Cod. Taur. qui m. 1 habet „*manabit*", m. 2 correxit „*manavit*".

[De solis orientis et occidentis vicissitudinibus]

I 253 . . . . *quique ordine certo*
Nunc oritur, nunc occiduas demissus in oras

Virg. G. I 438 *Sol quoque et exoriens et cum se condet in undas.*

[Quae sunt in votis]

---

[1]) Cf. Sedulii prosam „ . . . draconem, qua vipereos motus tam sinuoso flexu volumina, quam trisulcas vibrando linguas exercens".

[2]) Cf. et. Sil. IV 379, Val. Flacc. II 185.

[3]) Cf. Aen. IX. 23 . . *summoque hausit de gurgite lymphas.*

I 266 s. *(orat)*

Ut natos caramque domum, dilectaque rura,
Coniugiique fidem famulos censumque gubernent.

Virg. Ae. II 577 s.

Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aspiciet .....
Coniugiumque domumque patres natosque videbit.

[Vana conamina]

I 268 s. *Lignee, ligna rogas, surdis clamare videris*
A mutis responsa petis ....

Virg. Ecl. X 8 *Non canimus surdis ...*
(et forma congruit Ae. VII 86 *in dubiis responsa petunt).*

[Contraria]

I 277 *... ne mollia sentibus uram*
Lilia, purpurei neu per violaria campi
Carduus, et spinis surgat paliurus acutis.

Virg. Ecl. V 37

Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
Pro molli viola pro purpurea narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

Lectio nonnullorum librorum „*ex spinis*" loco Virgiliano reprobatur. Cf. etiam C. p. II 28. *Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis.*

[Materia instituta iam absolvatur]

I 280 s. *Iam satis humanis erroribus addita monstra*
Risimus, aut tales potius deflevimus actus.
Nunc coeptum iuvat ire viam[1] ....

Virg. Ae. VI 625 s.

Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
....
Set iam age, carpe viam ....

— Ge. I 501 ... *satis iam pridem sanguine nostro*
Laomedonteae luimus periuria Troiae Iam pridem ..

I 334 s. *Interea dum rite viam sermone levamus,*
Spesque fidesque meum comitantur in ardua gressum.

---

[1]) Cf. Ge. III 77, Ae. IV 468.

Virg. Ae. VIII 309 *Ingrediens varioque viam sermone levabat.*
— 462 . . *gressumque canes comitantur herilem.*

[Invocatio (Mariae) ad Virgilii exemplar formata]

II 63 *Salve, sancta parens, enixa puerpera regem,*
Qui caelum, terramque tenet per secula, cuius
Numen et aeterno complectens omnia gyro [1])
Imperium sine fine manet. . . .

Virg. Ae. V 80 *Salve, sancta parens* . . (cf. etiam Ge. II 173)
— I 236 *Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,*
— I 609 *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,*
— I 279 *Imperium sine fine dedi. . . .*

I 346 *Exiguam concede domum, tuus incola sanctis*
Virg. Ae. III 85 *Da propriam, Thymbraee, domum, da moenia fessis.*

[Imago esurientis leonis]

II 110 s. . . . . *ceu leo frendens,*
Cuius ab ore tener subito quum labitur agnus,
In totum movet arma gregem, manditque trahitque
Molle pecus, trepidaeque vocant sua pignora foetae
Nequidquam, et vacuas implent balatibus auras.
Haud secus Herodes. . . .

Virg. Ae. IX 339 s.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans
(Suadet enim vaesana fames) manditque trahitque
Molle pecus [2]) *mutumque metu, fremit ore cruento* [3])

et Ae. XII 7 s.
Tum demum movet arma leo gaudetque comantis . . .
. . . . *et fremit ore cruento*
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.

et IX 565
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum. . . .

---

[1]) Sic Arevalus et alii. Cod. Taur. „*nomen aeternum*“ — „*nomen*“ genuinam esse lectionem praeter alia ex prosa colligo: „ut eius imperium, potestas et nomen nec initium noverit habere nec finem.“ At vocis ‚*aeternum*‘ syllabam desinentem ‚um‘ accipiendam pro ‚o‘ cum ex rimo penthemimeris cum versus fine tum ex codicis scripturarum proprietatibus satis patet (cf. in subscriptione epistulae I. „ad Macedoneo“).

[2]) Cf. Ge. III 299.

[3]) Cf. C. p. I 356.

[Transitur ad alia]

II 215 *Dixerat, et validi confossus cuspide verbi . . . .*
. . fugit . . . .

Virg. Ae. I 81 *Haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem*
Impulit. . . . .

II 73 *Talia Bethlaeis dum signa geruntur in oris,*
Eoi venere Magi . . . .

Virg. Ae. VII 540 *Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,*
543 *Deserit Hesperiam . . . . .*

Cf. etiam IX 1 *Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,*
Irim de coelo misit. . .

[Praemia victoris]

II 253 s. (*ubi*)
Nobile perpetua caput amplectente corona,
Victor opima ferens gaudebit praemia miles.

Virg. Ae. V. 309 s. *. . . tres praemia primi*
Accipient flavaque caput nectentur oliva.
cf. et I 605.

[Aequora placantur]

III 63 *Imperat, et dicto citius tumida aequora placat.*
Virg. Ae. I 142
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat.

III 203 s. . . . *caelumque ac sidera tandem*
Cernit, et ardentem solis reminiscitur orbem.

Virg. Ae. X 781 *. . . . caelumque*
Aspicit et dulcis moriens reminiscitur Argos.

[De supplice]

III 296 s. *Vir humilis, maesto deiectus lumina vultu,*
Procedit, supplexque manus et brachia tendit,
Imploratque gemens; . . . .

Virg. Ae. XII 930 s.
Ille humilis supplex oculos dextramque precantem
protendens ,equidem merui, nec deprecor' inquit:
et similia Ae. XI 480, V 286.

III 305 s.
Dixerat, et genua amplectens genibusque volutans
Haerebat . . .

Virg. Ae. III 607 s.
Dixerat, et genua amplexus genibusque volutans
Haerebat . . .

[Funeris exequiae]

IV 128 s. *Conspicit efferri iuvenem ,gelidumque cadaver,*
Pluribus exequiis et inani funere passum
Triste ministerium . . . .

Virg. Ae. VI 222 s.
. . . pars ingenti subiere feretro
(Triste ministerium) et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem.

[De angue]

IV 145, 149 *. . . sed squameus anguis*
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Virg. G. II 154 *Squameus in spiram tractu se colligit anguis.*
Ae. V 85 *Septem ingens gyros, septena volumina traxit.*

[Similia]

IV 233 s. *Dumque sui media residens testudine templi,*
Ore tonans patrio, directi ad pervia callis
Errantem populum monitis convertit amicis,
Ecce trahebatur, magna stipante caterva . . .

Virg. I 505 s. *Tum foribus divae, media e testudine templi,*
Saepta armis solioque alte subnixa resedit.
Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat:
Cum subito Aeneas . . .

Ae. II 403 *Ecce trahebatur . . . .*
Ae. IV 136 . . . *magna stipante caterva* = I 497.

[De infernis]

IV 285 s. *Tartara dissiliunt, erebi patuere recessus,*
Extremuit lethale chaos, mortisque profundae
Lex perit . . .

Ae. VIII 242 . . . *et umbrosae penitus patuere cavernae:*
— VII 515 *Contremuit nemus (*Triviae*) et silvae insonuere profundae.*

[De equo]

IV 294 s. *. . . . nec terga frementis*
Ardua pressit equi, phaleris qui pictus et ostro
Ora cruentatum madentia concutit aurum.

Ae. IV 134 . . . *ostroque insignis et auro*
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.

[De supplice lumina ad caelum flectente]

V 218 s. *Saucia deiectus flectebat lumina tantum*
Lumina, nam geminas arcebant vincula[1]) *palmas.*

Virg. Ae. II 405 s.
Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

[Cena finita]

V 408 s. . . . . *modicoque paratu*
Postquam victa fames, et surrexere relictis
Rite toris an . . . . . Explorat Dominus . . .

Virg. Ae. I 216 s.
Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
Amissos longo socios sermone requirunt.

II. Sequuntur versus et hemistichia, quae aut iisdem verbis terminantur aut omnino simillime cadunt (omissis versibus, quos iam in superiore capite protulimus).

I 2 *Dignatus nostris accubitare toris*
Virg. Ae. I 708 . . . *toris iussi discumbere pictis*
(Cf. etiam Ae. I 708, IV 650)

I 35 *Maiestas similis: haec est via namque salutis.*
Virg. Ae. VI 96 *Qua tua te Fortuna sinet. Via prima salutis.*

I 37 *Haec mihi carmen erit: mentes huc vertite cuncti.*
Ae. VIII 440 *Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem.*
Ov. Ib. 69 *Huc, precor, huc vestras omnes advertite mentes.*

---

[1]) Variant codd. Nonnulli, in his vetustissimi Ambros. et Taur. praebent ‚*vulnera*‘, quae lectio optime cum prosa facit: „quoniam tensi vulnerum nexus ab humilitatis officio volentes inclinari palmas arcebant.“ Sedulius illo verbo Virgilianum versum variasse mihi videtur; inde illae scripturarum discrepantiae.

I 64 [1]) *Qui solem radiis et lunam cornibus imples.*
Virg. Ae. III 645 *Tertia iam lunae se cornua lumine complent.*

I 91 *Sordidus impressas calcabit vinitor uvas* [2]).
Virg. Ecl. X 36 *Aut custos gregis aut maturae vinitor uvae.*

I 96 *Ex quibus audaci perstringere pauca relatu.*
Virg. Ae. IX 595 *Iis primam ante aciem digna atque indigna relatu.*

I 97 *Vix animis committo meis, silvamque patentem.*
Virg. Ge. I 76 *Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem.*

I 112 *Algentes onerata sinus, spem gentis opimae . . . Edidit.*
III 105 *At genitor, cui finis edax spem prolis adultae.*
Ge. IV 162 *Suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos Educunt fetus. . . .*

I 160 *Angelicis tremefacta minis affatur asella Sessorem. . . .*
Virg. Ae. I 663 *Ergo his aligerum dictis affatur Amorem*

I 198 *Tres una cum mente viri, durumque subirent.*
Virg. Ae. VII 22 *Delati in portus neu litora dira subirent.*

I 211 *Omnibus hirsutus silvis, et montibus errat*
Virg. Ae. I 578 *Siquibus eiectus silvis et urbibus errat.*
Cf. Ribbeckii adnotationem crit. „*montibus* cum libris quibus-

---

[1]) Virgilium redolent etiam versus: I 48.
I 48 *Proderit, et mutis animas damnare metallis,*
Virg. Ecl. V 80 *Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.*

I 59 *Maxima centenum cumulare per horrea fructum.*
Virg. Ge. II 518 *Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.*
[2]) Cf. etiam Ovid. Met. II 29.

dam deterioribus Burmannus, conferri Sedulii carm. p. 18 (?) iubet Peerlkampus."

I 212 *Nec minus et Darii furuerunt iussa tyranni*
Virg. Ae. VIII 483 . . *quid facta tyranni*
— X 448 . . *contra dicta tyranni.*

I 245 *Quis furor est, quae tanta animos dementia ludit?*
Virg. Ae. V 465 *Infelix, quae tanta animum dementia cepit?*

I 256 *Nec lumen fuit ille manens in origine mundi.*
II 56 *Membra tulit dominus, primique ab origine mundi.*
Virg. Ge. II 336 *Non alios prima crescentis origine mundi.*

I 263 *Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.*
Virg. Ae. II 686 *Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.*

I 271 *Ardua pendentis sustentent culmina tecti.*
Virg. Ae. II 695 *Illam, summa super labentem culmina tecti*
cf. etiam IV 186. Ge. IV 374 (*pendentia pumice tecta*).

I 285 *Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti.*
Virg. Ecl. I 44 . . *primus dedit ille petenti*
— Ae. IV 127 . . *non adversata petenti.*

I 299 *Haec est vera fides, hanc sprevit habere salutem.*
Virg. Ae. I 451 *Leniit, hic primum Aeneas sperare salutem.*

I 311 *It nova progenies, et avi numerantur avorum.*
Virg. Ge. IV 209 *Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.*

I 344 *Militiaeque tuae, bone rex, pars ultima resto.*
Virg. Ecl. IV 53 *O mihi tum longae maneat pars ultima vitae.*

I 353 *Caelitus, humanam dignatus sumere formam.*
Virg. Ecl. VI 36 *Coeperit et rerum paulatim sumere formas.*

II 28 *Cursibus extremae sors irreparabilis horae.*
Virg. Ae. X 467 *Stat sua cuique dies breve et irreparabile tempus*
Omnibus est vitae . . . . .

II 28 *Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis.*
Virg. Ecl. V 39 *Carduus et spinis surgit paliurus acutis.*

II 67 *Gaudia matris habens cum virginitatis honore.*
Virg. Ae. XI 583 *Aeternum telorum et virginitatis amorem.*

II 80 *Mox sibimet, qui primus erat: tunc fronte serena.*
Virg. Ae. IV 477 *Consilium voltu tegit ac spem fronte serenat.*

II 81 *Nubila mentis habens, clam mandat ubique requiri.*
Virg. Ae. VII 460 *Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.*
cf. etiam III 170, VI 710, IX 223.

II 100 *Semper adest, semperque fuit, semperque manebit.*
Virg. Ae. I 609 *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.*

II 120 *Non ratio, primosque necans vagitus, et audens.*
Virg. Ae. VI 426 *Continuo auditae voces vagitus et ingens.*

II 135 *Hoc spatium de carne trahens, aevique meatus.*
Virg. Ae. VI 849 *Orabunt causas melius, caelique meatus.*

II 177 *Insidiis tentator adit, doctusque per artem.*
Virg. Ge. I 122 *Haut facilem esse viam voluit, primusque per artem.*

II 185 *Sed cuncto sermone dei labefactus et amens.*
Virg. Ae. IV 395 *Multa gemens magnoque animum labefactus amore.*

I 202 *Et statuens alti supra fastigia templi.*
Virg. Ae. VIII 366 *Dixit et angusti supter fastigia tecti.*

II 267 *Dulcia nam Domini nostris in faucibus haerent*
Eloquia . . .
Virg. Ae. II 774 *Opstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.*

II 286 *Corde petamus iter, tenuis qua semita monstrat.*
Virg. Ae. I 418 *Corripuere viam interea, qua semita monstrat.*
XI 524 *Urget utrimque latus, tenuis quo[1]) semita ducit.*

II 293 *Dissociata malis. Dextrum quicunque, necesse est.*
Virg. Ae. VI 737 *Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est.*

III 11 *Mitis in occiduas enutrit pampinus uvas.*
Virg. Ge. I 448 *Heu male tum mitis defendet pampinus uvas.*

III 37 *At postquam fessos Domini manus attigit artus.*
Virg. Ge. IV 190 *In noctem, fessosque sopor suos occupat artus.*

---

[1]) Servius: quo . . legitur et qua.

III 53 *Vertitur, et trepidam quatiunt* v a d a s a l s a c a r i n a m.
Virg. Ae. V 158 *Frontibus et longa sulcant* v a d a s a l s a c a r i n a.

III 56 *Ipse autem* p l a c i d u m c a r p e b a t p e c t o r e s o m n u m.
Virg. Ae. IV 522 *Nox erat, et* p l a c i d u m c a r p e b a n t *fessa soporem.*
— IX 326 *Extructus toto proflabat* p e c t o r e s o m n u m.

III 71 *Liquerat, et medios* l u s t r a b a t *passibus* a g r o s.
Virg. Ae. IV 6 *Postera Phoebea* l u s t r a b a t *lampade* t e r r a s (= VII 148).

III 83 *Pro meritis petiere suis, tristes*q u e p h a l a n g e s.
Virg. Ae. VI 488 *At Danaum proceres Agamemnoniae*q u e p h a l a n g e s.
— XII 662 *Sustentant aciem. Circum hos utrim*q u e p h a-l a n g e s.

III 99 *Inque tuam descende domum.* N i l i u s s a m o r a t u s.
Virg. Ae. V 381 *Aeneae stetit ante pedes,* n e c p l u r a m o r a t u s.

III 106 *Sustulerat, sanctos Domini* l a c r i m a n s q u e, g e m e n s q u e
Corruit ante pedes . . .
Virg. Ae. XI 150 *Procubuit super atque haeret* l a c r i m a n s q u e g e m e n s q u e.

III 107 *Corruit ante pedes, vix* v e r b a p r e c a n t i a f a r i.
Virg. Ae. VII 237 *Praeferimus manibus vittas ac* v e r b a p r e-c a n t i a.

III 129 *Ventum erat ad maesti lugentia* c u l m i n a t e c t i.
Virg. Ae. II 695 *Illam, summa super labentem* c u l m i n a t e c t i.

III 135 *Ponite sollicita* c o n c e p t o s m e n t e d o l o r e s.
Virg. Ae. IV 501 *Germanam credit nec tantos* m e n t e f u r o r e s C o n c e p i t . .

III 190 *Ille chelydrus adest, nigri qui felle veneni.*
Virg. Ae. XII 857 *Armatum saevi Parthus quam felle veneni.*

III 218 *Quae redit a cunctis, non est data copia mensis.*
Virg. Ae. I 520 *Postquam introgressi et coram data copia fandi.*
— IX 484 *Adfari extremum miserae data copia matri.*

III 225 *Adversus nam flatus erat; tunc noctis opacae Tempore . . . .*
Virg. Ae. VIII 658 *Defensi tenebris et dono noctis opacae* (= X 161).

III 228 *Circumfusa sacras lambebant marmora plantas*
Virg. Ae. VII 811 *Ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.*
— II 211 *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.*

III 242 *Hinc Tyrias partes. Sidoniaque arva petentem*
Virg. Ae. III 657 *Pastorem Polyphemum et litora nova petentem.*
(Cf. etiam I 620, VIII 158, XII 42).

III 300*) *Nec linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris*
Virg. Ae. XI 186 *More tulere patrum, subiectisque ignibus atris.*

III 324 *Qui cunctis subiectus erit, seseque minorem,*
Virg. Ae. IX 593 *Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem.*

III 328 *Non annis, sed mente, iubet, quia mollior aetas*
Virg. Ge. I 312 *Atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas.*

IV 2 *Iudaeae sectatus iter, sine nomine mixtum*
Virg. Ae. II 558 *Avolsumque umeris caput sine nomine corpus.*

---

*) III 312 *Fugit in obscuras, puero vivente tenebras.*
Ae. V 740 *Dixerat, et tenuis fugit ceu fumus in auras.*

IV 8	*Nam quidquid natura negat, se iudice praestat.*
Virg. Ecl. IV 59	*Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.*
IV 32	*Dum quoddam transiret iter comitante caterva*
Virg. Ae. II 40	*Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva.*
IV 62	*Et voci patefecit iter, nexuque soluto*
Virg. Ge. II 386	*Versibus incomptis ludunt risuque soluto.*
IV 63	*Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.*
Virg. Ae. V 842	*Phorbanti similis, funditque has ore loquelas.*
IV 87	*Et sanctum cognosco dei, nec plura locutus,*
Virg. Ae. VII 599	*Funere felici spolior. nec plura locutus* (= XI 461).
IV 89	*Pulsus et in vacuas fugiens evanuit auras.*
Virg. Ae. IV 278	*Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.* (= IX 657).
IV 115	*In pelagus iubet ire ratem, vastoque profundo* *Retia demitti . . . .*
Virg. Ae. XII 263	*Vi populat: petet ille fugam penitusque profundo* *Vela dabit . . . .*
IV 139	*Nec, vita praesente, mori. Mox agmine verso,*
Virg. Ae. XI 412	*Si tam deserti sumus et semel agmine verso* (= XI 684).
IV 152	*Discipulosque alios, quorum mens conscia recti,*
Virg. Ae. I 604	*Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti.*
IV 178	*Accrescente sinu, miserosque infusa per artus*
Virg. Ae. VI 726	*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.*

IV 194 *Praeceptor, miserere, potes namque omnia, Iesu.*

Virg. Ae. VI 117 *Alma, precor, miserere (potes namque omnia nec te).*

IV 214 *Ad Dominum palpante manu, visumque recepit.*

Virg. Ae. X 899 *Suscipiens hausit caelum mentemque recepit.*

IV 219 *Qui foribus clausis per opaca silentia noctis,*

Virg. Ae. II 255 *A Tenedo tacitae per amica silentia lunae.*

IV 267 *Sed dignante deo mortalem sumere formam.*

Virg. Ecl. VI 36 *Coeperit, et rerum paulatim sumere formas.*

IV 284 *Lazare, perge foras; magno concussa pavor.*

Virg. Ae. XII 411 *Hic Venus, indigno nati concussa dolore.*

V 16 *Auctorem generasse suum, qui nomine patris Audito ....*

Virg. Ae. XII 697 *At pater Aeneas audito nomine Turni.*

V 40 *In Dominum, servile dedit consurgere bellum.*

Virg. Ae. VIII 637 *Addiderat subitoque novum consurgere bellum.*

V 75 *Plus duodena dari, si mallet sumere poenas*

Virg. Ae. II 103 *Idque audire sat est? iamdudum sumite poenas.*

(cf. etiam XII 949 *et poenam scelerato ex sanguine sumit).*

V 131 *Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.*

Virg. Ae. V 489 *Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.*

V 146 *Idola dilexit; simili nam more furentes,*

Virg. Ae. X 578 *Haut tulit Aeneas tanto fervore furentis.*

V 170 *Implet arundo manum, sceptrum quod mobile semper,*

V 174 *Et sumpturus item, nil iam ut mutabile ferret.*
Virg. Ae. IV 569 *Heia age, rumpe moras. varium et mutabile semper Femina. . . . .*

V 178 *Quod vinum cum felle datum, tristemque saporem.*
Virg. Ge. II 126 *Media fert tristis sucos tardumque saporem.*

V 184 *Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris.*
Virg. Ae. X 151 *Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni.*

V 210 *Iura potestatis non perdidit: aequus utrumque*
Iudex namque tuens . . . .
Virg. Ae. X 450 *Aut leto insigni: sorti pater aecus utriquest.*

V 266 *Infernae patuere viae, ruptaeque fatiscunt*[1]
Divisa compage petrae . . .
Virg. Ae. I 123 *. . . laxis laterum compagibus omnes*
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.

V 269 *In cineres animata suos, subitoque fragore*
270 *Illud ovans templum, maioris culmina templi.*
Virg. Ae. II 692 *Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore*
— 695 *Illam, summa super labentem culmina tecti.*

V 286 *Viscera pendebant, et adhuc furor, arma ministrans,*
Virg. Ae. I 150 *Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.*

V 302 *Plura dari, saevaque locum obsidione teneri*
Virg. Ae. X 109 *Seu fatis Italum castra obsidione tenentur.*
— IX 598 *Non pudet obsidione iterum valloque teneri.*

V 310 *Quis poterit servare deum, cui cardine rerum.*
Virg. Ae. I 672 *Hospitia; haut tanto cessabit cardine rerum.*

[1]) Cf. etiam VIII 243 s.

V 311 *Cuncta patent? undis habitat, per tartara regnat,*
Virg. Ge. II 307 *Per ramos victor perque alta cacumina regnat.*

V 314 *Explorare fidem, cui non vis credulus esse?*
Virg. Ecl. IX 34 *Vatem pastores; set non ego credulus illis.*

V 326 *Sed plenum virtute locum. Nam missus ab astris*
Virg. Ae. IV 356 *Nunc etiam interpres divom Iove missus ab ipso.*
cf. et IV 574, X 779.

V 352 *Et populum, Iudaea, tuum pro talibus ausis.*
Virg. Ae. II 535 *‚At tibi pro scelere' exclamat, pro talibus ausis.*

V 394 *In dextras hortatur aquas, mox gurgite clauso.*
Virg. Ae. XI 298 *Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur.*

V 421 *Iussis mando meis, omnesque in fonte lavari.*
Virg. Ecl. III 97 *Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.*

---

hym. I 7 *Sola fuit mulier, patuit quae ianua letho:*
Virg. Ae. II 661 *Teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto.*

---

hym. I 17 *Hostia summa patris, tacitis signata figuris;*
Virg. Ge. IV 15 *Et manibus Procne pectus signata cruentis.*

hym. I 25 *Agnus ab hoste sacer revocavit sanguine patres,*
Virg. Ae. I 235 *Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri.*

III. Versuum initia eadem vel simillima.

Sed. I 49 *Parcite pulverei squalentia iugera campi,*
Virg. Ae. III 42 *Parce pias scelerare manus. non me tibi Troia.*

I 73 *Qui genus humanum (praeter quos clauserat arca).*

Virg. Ae. I 542 *Si genus humanum et mortalia temnitis arma.*

I 93 *Indicio est antiqua fides, et cana priorum.*
Virg. Ge. II 182 *Indiciost tractu surgens oleaster eodem.*
(cf. et. Ae. I 292 *Cana Fides et Vesta).*

I 103 *Primus ab usque chao meritis vivacibus Enoch*
Virg. Ae. VIII 319 *Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo.*

I 143 *Cui dux Christus erat; clamat nam lectio, Multas.*
Virg. Ecl. VIII 38 *(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.*

I 157 *Et ieiuna novum vomuerunt marmora potum.*
Virg. Ge. II 212 *Nam ieiuna quidem clivosi glarea ruris.*

I 185 *Convenit Heliae! merito qui, et nomine fulgens,*
Virg. Ae. XII 184 *Convenit Euandri victos discedere ad urbem.*

I 190 *Usus iure suo, patefactaque limina claudens.*
Virg. Ae. XII 932 *Utere sorte tua, miseri te siqua parentis.*

I 206 *Digna sed immitem mox perculit ultio regem,*
Virg. Ecl. IX 36 *Digna, sed argutos inter strepere anser olores.*

I 212 *Nec minus et Darii furuerunt iussa tyranni.*
Virg. Ae. XI 203 *Nec minus et miseri diversa in parte Latini.*

I 242 *Heu! miseri, qui vana colunt, qui corde sinistro*
Virg. Ae. VII 596 *O miseri. te, Turne, nefas, te triste manebit.*

I 245 *Quis furor est, quae tanta animos dementia ludit?*
Virg. Ae. V 670 *Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit.*
cf. etiam Ge. IV 495.

I 247 *Semihominemque canem supplex homo plenus adoret?*

Virg. Ae. VIII 194 *Semihominis Caci facies quam dira tenebat.*

I 248 *Ast alii solem, caecatis mentibus acti.*
Virg. Ae. IX 727 *Ast alios secum includit recipitque ruentis* (= VI 316)
— VII 395 *Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent.*

I 265 *Instituitque dapes, et ramos flebilis orat.*
Virg. Ae. VII 109 *Instituuntque dapes et adorea liba per herbam.*

I 269 *A mutis responsa petis, quae iura domorum*
Virg. Ae. VII 86 *In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos.*

I 272 *Aut subiecta focis dapibus famulentur edendis.*
Virg. Ge. I 175 *Et suspensa focis explorat robora fumus.*

I 301 *Flectere nisus iter, foveam delapsus in atram.*
Virg. Ae. VII 35 *Flectere iter sociis terraeque advertere proras.*

I 311 *It nova progenies, et avi numerantur avorum.*
Virg. Ecl. IV 7 *Iam nova progenies caelo demittitur alto.*

I 316 *Ipse est principium: nam sicut clarus habetur*
Virg. Ecl. VIII 11 *A te principium, tibi desinam. accipe iussis.*

I 345 *Hic proprias sedes, huius mihi moenibus urbis*
Virg. Ae. III 167 *Hae nobis propriae sedes, hinc Dardanus ortus.*

I 355 *Hoc Matthaeus agens, hominem generaliter implet.*
Virg. Ae. VIII 678 *Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar.*

I 362 *Fulget apex numero, menses imitatus, et horas.*

Virg. Ae. X 270 *Ardet apex capiti cristisque a vertice flamma.*

II 63 *Salve, sancta parens, enixa puerpera regem,*
Virg. Ae. V 80 *Salve, sancta parens: iterum salvete, recepti.*
cf. etiam Ge. II 173.

II 66 *Imperium sine fine manet, quae ventre beato.*
Virg. Ae. I 279 *Imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno.*

II 83 *Quid furis, Herodes? Christum sermone fateris.*
Virg. Ae. II 595 *Quid furis aut quonam nostri tibi cura recessit?*

II 89 *Ergo alacres summo servantes lumina caelo.*
Virg. Ecl. V 58 *Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas.*

II 97 *Tura dedere deo, myrrham tribuere sepulcro.*
Virg. Ae. VIII 106 *Tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.*

II 100 *Semper adest semperque fuit semperque manebit.*
Virg. Ae. I 609 *Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.*

II 102 *Per somnum moniti contemnere iussa tyranni.*
Virg. Ae. III 633 *Per somnum commixta mero, nos magna precati.*

II 110 *Ereptumque gemens facinus sibi, ceu leo frendens.*
Virg. Ae. V 342 *Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.*

II 118 *Turba perit? cur qui vix dum potuere creari,*
Virg. Ae. XII 607 *Turba furit: resonant late plangoribus aedes.*

II 121 *Innumerum patrare nefas, puerilia mactat.*
Virg. Ae. XI 204 *Innumeras struxere pyras et corpora partim.*

II 139 *Nec mora (quas etenim volitans per tempora mundus)*
Virg. Ge. III 110 *Nec mora nec requies, at fulvae nimbus harenae* (= Ae. V 368, 458).

II 199 *Ter sese attollens, animo perstare superbo,*
Virg. Ae. IV 690 *Ter sese attollens subitoque adnixa levavit.*

II 279 *Non quia nos Dominus, lucis via, semita pacis,*
Virg. Ge. II 286 *Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas.*

III 34 *Febris anhela socrum, dubioque in funere pendens.*
Virg. Ge. III 497 *Tussis anhela sues ac faucibus angit obessis.*

III 136 *Hic sopor est, Salvator ait, nec funus adesse*
Virg. Ae. III 173 *Nec sopor illud erat; set coram adgnoscere voltus.*

III 141 *Obstipuere animis inopinaque vota parentes*
Virg. Ae. VIII 530 *Obstipuere animis alii sed Troïus hero.*
(cf. et. Ae. II 120, V 404, IX 123).

III 143 *Inde pedem referens, geminos videt ecce sequentes*
Virg. Ae. X 794 *Ille pedem referens et inutilis inque ligatus.*
cf. etiam Ge. IV 485.

III 158 *Nec minus interea proprios iubet omnia posse*
Virg. G. II 429 *Nec minus interea* ... (cf. etiam Ge. III 311, Ae. VI 212, VII 572, XII 107 . .).

III 160 *Ite, ait, et tristes morborum excludite pestes.*
Virg. Ae. XI 24 *Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis,*

III 206 *Ima petunt; quos Christus alit, sine labe resurgunt.*
Virg. Ae. IX 120 *Ima petunt. hinc virgineae (mirabile monstrum).*

III 258 *Tertia lux aderat, sterilique in caespite nullum.*
Virg. Ae. III 117 *Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.*

IV 40 *Hinc repetita sacri gradiens per moenia templi,*
Virg. Ge. I 39 *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.*

IV 76 *Utere pace mea. Magna est medicina fateri,*
Virg. Ae. XII 932 *Utere sorte tua. Miseri te siqua parentis.*

IV 130 *Triste ministerium, cuius sors invida matrem*
Virg. Ae. VI 223 *(Triste ministerium) et subiectam more parentum.*

IV 134 *Surge, ait, o iuvenis; parensque in tempore dicto*
Virg. Ae. VIII 59 *Surge age, nate dea, primisque cadentibus astris.*

IV 181 *Non tulit hanc speciem mundi pater, et sua transit.*
Virg. Ae. II 407 *Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus.*

IV 186 *Iussit abire luem: fluidus mox viscera morbus*
Virg. G. IV 446 *Iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. at ille.*

IV 236 *Ecce trahebatur, magna stipante caterva,*
Virg. Ae. II 403 *Ecce trahebatur passis Priameia virgo.*

V 283 *Semine vipereo, culpa genetrice crearis,*
Virg. Ae. VII 281 *Semine ab aetherio, spirantis naribus ignem.*

V 378 *Expediens palmas, nudat latus: ast ibi Thomas.*
Virg. Ae. XII 258 *Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur.*

V 409 *Postquam victa fames, et surrexere relictis*
Virg. Ae. I 216 *Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae*
cf. etiam Ae. VIII 184.

V 422 *Haec ubi dicta pio Dominus sermone peregit.*
Virg. Ae. I 81 *Haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem.*
cf. etiam Ae. V 32, 315, VI 628, VII 471, VIII 175, 541, X 633, XII 81, 441.

---

hymn. I 15 *Sume, pater, populos pro nati vulnere cunctos.*
Virg. Ae. V 533 *Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi.*

---

hymn. I 47 *Tu decus omne tuis, qui sternis clade Goliam.*
Virg. Ecl. V 34 *Tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt.*

IV. Locutiones similes, quae non in iisdem versuum hemistichiis plerumque legantur.

Sed. I 5 *Sed modicae contentus adi sollemnia mensae.*
Virg. Ae. X 516 *Omnia sunt oculis mensae, quas advena primas*
Tunc adiit. . . .

I 14 *Collucentque suis aurea vasa favis.*
Virg. Ae. V 3, 4 *Moenia respiciens quae iam infelicis Elissae*
Conlucent flammis.

I 26 *Clara salutiferi taceam miracula Christi?*
Virg. Ge. IV 123 *Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi.*

I 41 *Sectantesque magis vitam spirantis odorem*
Legis. . . . .
Virg. Ae. I 403 *Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem*
Spiravere . . .

I 48, 49 *Quid lapides atque aera coli, quid fana profanis*
Proderit, et mutis animas damnare metallis?[1]).
Virg. Ae. XI 844 *Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam*
Profuit aut nostras umeris gessisse sagittas.

I 61 *Qui caeli fabricator ades, qui conditor orbis,*
Virg. Ae. II 264 *Et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.*
— VIII 313 *Tum rex Euandrus, Romanae conditor arcis.*

I 79 *Pande salutarem paucos, quae ducit in urbem*
Angusto mihi calle viam. . .
Virg. Ae. VI 97, 98 *Qua tua te Fortuna sinet. via prima salutis*
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.

I 89 *Messorem producet hiems: si currere mustum*
Virg. Ge. I 316 *Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis.*

I 92 *Cunctaque divinis parebunt tempora dictis.*
Virg. Ae. III 189 *Sic ait, et cuncti dicto paremus ovantes.*

I 101 *Cuncta quis expediet, quorum nec lucida caeli.*
De hac locutione cf. Virg. Ge. IV 150, 286, Ae. III 379, VII 40, XI 315.

I 112 *Algentes onerata sinus, spem gentis opimae.*
Virg. Ae. I 320 *Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.*

(I 132 *Mitis in immitem virga est animata draconem,*

[1]) Cf. supra p. 75 adn.

Ovid. Met. IV 619 *Quas humus exceptas varios animavit in angues).*

———

I 135 *Sorbuit et proprii redit in virgulta rigoris.*

Virg. Ae. XII 424 *Excidit atque novae rediere in pristina vires.*

———

I 157 *Et ieiuna novum vomuerunt marmora pontum.*

Virg. Ge. II 462 *Mane salutantem totis vomit aedibus undam.*

———

I 170 *Heliam corvi quondam pavere ministri*

Virg. Ge. IV 152 *Dictaeo caeli regem pavere sub antro (apes).*

———

I 179 *Aurea flammigeris evectus in astra quadrigis*

Virg. Ae. VI 130 *Iuppiter aut ardens evexit ad*[1]) *aethera virtus.*

———

I 183 *Duxit, et humani metam non contigit aevi.*

Virg. Ae. X 472 *Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.*

— V 835, 836 *... metam contigerat.*

———

I 192 *Ionas puppe cadens, ceto sorbente voratus,*

Virg. Ae. VI 339 *Exciderat puppi mediis effusus in undis.*

———

I 219 *Et didicere truces praedam servare leones.*

Virg. Ae. II 763 *Praedam adservabant. huc undique Troïa gaza.*

———

I 224 *Sponte venire pecus, muliebres transtulit artus*

Virg. Ge. II 11 *Sponte sua veniunt camposque et flumina late.*

———

I 226 *Non adere dedit: virgultum solvit in anguem.*

Virg. Ae. I 66 *Et mulcere dedit fluctus et tollere vento.*

———

[1]) Cf. Ribbeckii adn. „in cod. c."

I 250 *Clara serenatis infundere lumina terris,*
Virg. Ge. I 385 *Certatim largos humeris infundere rores.*

I 255 *Partitur cum nocte vices, nec semper ubique est.*
Virg. Ae. I 601 *Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est.*

I 257 *Cum geminum sine sole diem novus orbis haberet.*
Virg. Ae. VI 534 *Ut tristes sine sole domos, loca turbida adires.*

I 264 *Arboreis alius ponit radicibus aras,*
Virg. Ae. IV 200 *Centum aras posuit vigilemque sacraverat ignem.*

I 283 *Nitentes firmare gradus; properemus in urbem,*
Virg. Ae. III 659 *Trunca manu pinas regit et vestigia firmat.*

I 301 *Flectere nisus iter, foveam delapsus in atram*
Virg. Ae. VII 35 *Flectere iter sociis terraeque advertere proras.*

I 302 *Corruit, et tetri mersus petit ima profundi:*
Virg. Ae. VIII 67 *Ima petens; nox Aenean somnusque reliquit* (cf. etiam Ge. I 401).

I 307 *Namque homines inter natum genitore minorem.*
Virg. Ae. X 129 *Nec Clytio genitore minor nec fratre Menestheo.*

I 315 *Nec, quo crescat, habet genitus, non quippe creatus,*
Virg. Ge. IV 282 *Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit.*

I 329 *Sed tantum certare cati, prudentia quorum*
Prosa: *Sed tantum parati sunt longa disputatione certare.*

Virg. Ae. V 108 *Visuri Aeneadas, pars et certare parati.*

II 14 *Iamque suum nescire genus, quum victa supremis*

Virg Ae. VII 195 s. *Dicite, Dardanidae (neque enim nescimus et urbem*
Et genus .....

II 31 *Virginis antiquae facinus nova virgo piaret.*

Virg. Ae. II 184 *Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.*

II 37, 38 *Et dictum comitata fides, uterumque puellae.*
Sidereum mox implet onus ....

Virg. Ae. II 20 *Ingentis uterumque armato milite complent.*

II 89 *Ergo alacres summo servantes lumina caelo*

Virg. Ae. VI 338 *Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat.*

II 105 *Si cupimus patriam tandem contingere postquam*

Virg. Ae. V 18 *Spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.*

II 123 *Haec laceros crines, nudato vertice rupit,*

Virg. Ae. XII 312 *(inermem) Nudato capite atque suos clamore vocabat.*

II 126 *Orba super gelidum frustra premit ubera natum.*

Virg. Ecl. III 99 *Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.*

II 186 *Altera vipereis instaurans arma venenis,*

Virg. Ae. VII 341 *Exim Gorgoneis Allecto infecta venenis.*

I 203 *Si natum genitore deo tete asseris, inquit,*

Virg. Ae. X 466 *Tum genitor natum dictis adfatur amicis.*

II 227 *(quos .. non gloria) Sanquis alat, sed ..*[1]
Virg. Ae. V 231 *Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.*

II 240 *Flagrantes abolere doli monumenta vetusti,*
Virg. Ae. IV 497 *... abolere nefandi*
Cuncta viri monimenta iuvat ...

II 285 *Ab hac ergo pedem retro faciamus et arctum*
Virg. Ae. IX 798 *haut aliter retro dubius vestigia Turnus.*
Inproperata refert ....
— X 794 *Ille pedem referens .....*

II 287 *Ire per angustam regna ad caelestia portam.*
Virg. Aen. IV 310 *Et mediis properas aquilonibus ire per altum.*

II 295 *Semita conspicuos vocat in sua gaudia iustos,*
Virg. Ae. VI 41 *.. Teucros vocat alta in templa sacerdos.*

III 4 *In vinum cvnvertit aquas; amittere gaudent.*
Virg. Ae. X 83 *Tu potes in totidem classem convertere nymphas.*

III 78 *Spiritus infelix hominum non audet adire,*
Virg. Ae. V 379 *Audet adire virum manibusque inducere caestus.*

III 92 *Mortis imago fuit, resolutaque membra iacebant*
Virg. Ae. II 369 *Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.*

III 93 *Languida demissis pendebant vincula nervis.*
Virg. Ae. X 341 *Dexteraque ex umero nervis moribunda pependit.*

---

[1]) Cf. et. Stat. Silv. V 3, 132 *alit* victos immanis gloria falsi.

III 113 . . *qui totum praestare potes* (et 158 *iubet omnia posse)*
Virg. Ae. VI 117 . . *miserere potes namque omnia . .*

III 132 *Omnia lamentis ululans implebat amaris.*
Virg. Ae. IV 667 *Lamentis gemituque et femineo ululatu*
Tecta fremunt . . .

III 218 *Quae redit a cunctis, non est data copia mensis.*
Virg. Ge. I 249 *Aut redit a nobis Aurora diemque reducit.*

III 223 *Undosum petiere salum fluctuque tumente.*
Virg. Ae. IV 313 *Troia per undosum peteretur classibus aequor?*
— VII 810 . . . . *fluctu suspensa tumenti.*

III 232 *In medias descendit aquas, quem dextra levavit.*
Virg. Ge. IV 235 *Tristior hibernas caelo descendit in undas.*

III 242 *Hinc Tyrias partes Sidoniaque arva petentem.*
Virg. Ae. I 620 *Finibus expulsum patriis, nova regna petentem.*
— III 657 *Pastorem Polyphemum et litora nova petentem.*
Cf. VIII 158, XII 42.

III 251 *Alta dehinc subiens montis iuga, plebe sequente,*
Virg. Ecl. V 76 *Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit.*

III 277 *Lychnus, anhelantem sed spargens altius ignem,*
Virg. Ae. VIII 421 *Stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat.*

III 301 *Opprimat, atque animam dubia sub morte fatiget.*
Virg. Ae. II 359 *Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus.*

III 338 *Parva loquar, si facta dei per singula curram,*
Virg. Ae. IV 337 *Pro re pauca loquar. neque ego hanc abscondere furto.*
Cf. et. Ecl. VI 74.

IV 2 *Iudaeae sectatus iter, sine nomine mixtum Vulgus . . .*
Virg. Ae. II 558 *Avolsumque umeris caput sine nomine corpus.*

IV 43 *Bethaniae vicina petens: eademque reversus,*
Virg. Ae. II 256 *Litora nota petens: flammas cum regia puppis.*

II 45 *Ecce autem mediis astans sublimis in arvis.*
Virg. Ae. II 328 *Arduus armatos mediis in moenibus astans.*

IV 71 *Unguento fragrante fovens, sententia donec*
Virg. Ge. IV 46 *Ungue fovens circum, et raras superinice frondes.*

IV 114 *Et dictis iam finis erat; tunc altius actam.*
Virg. Ae. XII 793 *Quae iam finis erit, coniux? quid denique restat?*

IV 230 *Aeternam positura sitim, qua nemo carere.*
Virg. Ae. VII 129 *Exiliis positura modum.*

IV 284 *Lazare, perge foras; magno concussa pavore*
Virg. Ae. XII 411 *Hic Venus, indigno nati concussa dolore.*

IV 288 *Cernitur ante oculos vivens astare cadaver.*
Virg. Ae. III 150 *Extuleram, nisi ante oculos astare iacentis.*

IV 300 *Nobilior sub fasce, foret, non illius impar.*
Virg. Ge. III 347 *Iniusto sub fasce viam quom carpit, et hosti.*

V 32 *Nec dominum latuere doli, scelerisque futuri.*
Virg. Ae. I 130 *Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.*

V 52 *Hausisset placidas flabris vitalibus auras*
Virg. Ae. X 898 *.... contra Tyrrhenus, ut auras Suspiciens hausit ....*

V 55 *Aut male fusus humo, confestim munera lucis*
Virg. Ae. V 330 *Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.*
— VI 423 *Fusus humi totoque ingens extenditur antro.*

V 113 *Jamque dies aderat, nocturna maestior umbra.*
Virg. Ae. II 132 *Iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari.*

V 120 *Quidnam etenim prodest illic trepidare timore,*
Virg. Ae. VI 491 *Ingenti trepidare metu ...* (= II 685).

V 129 *Guttura, vocis iter, cuncti quae vendere mundi*
Virg. Ae. VII 534 *Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.*

V 167 *Mortis imago foret; spinis circumdedit amplum*
Virg. Ae. II 369 *Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.*

V 229 *Infernas adit ille fores, adit iste supernas,*
Cf. Virg. Ae. V 732 *Infernas accede domos et Averna per alta.*
— VIII 244 *Infernas reseret sedes et regna recludat.*

V 236 *Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.*
Virg. Ge. III 481 *Corrupitque lacus, infecit pabula tabe.*

V 335 *Deserta statione fugax testisque timoris*
Virg. Ae. IX 222 *Succedunt servantque vices: statione relicta.*

hym. I 5 *Unius ob meritum cuncti periere minores.*
Virg. Ge. IV 455 *Hautquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant.*

hym. I 86 *Quid facient hostes? mortuus ille tonat.*
Virg. Ecl. III 16 *Quid domini faciant, audent cum talia fures?*

Sed hoc genus Sedulianae imitationis satis illustrasse mihi videor, cum huius libelli fines materiam ex omni parte absolvere me non sinant. Transeo ad aliud. Virgilium epithetis, quae artis vocabulo ornantia vocantur, ornatum orationis et versuum quam maxime auxisse, est notissimum. Neque Sedulius noster haec carminum condimenta praetermisit, qui Virgilianae artis adeo fuerit studiosus. Etenim saepissime eadem epitheta quae Virgilius cum iisdem simillimisve nominibus coniunxit. Cuius imitationis praeclara exempla habes haec:

I 13 *Cerea mella*[1]) cf. Virg. E. II 53 *cerea pruna,* I 15 *paupere horto* = Virg. Ecl. VII 34 *pauperis horti.* — I 20 *Saeva nefandarum renovent contagia rerum* Virg. G. III 469 *Dira per incautum serpant contagia vulgus* (cf. et. E. I 50). —

[1]) Versus est: *Cerea gemmatis flavescunt mella canistris.* Nebrissensis offendebatur in verbo *„canistris"*, Arevalus in verbo *„mella"*; ille *„catinis"* hic *„mala"* scribi voluit (cf. *mala canistris* Ov. M. VIII 675, *cerea poma*, Mart. X 94). Equidem non adducor rationibus quamvis non inepte dictis, ut in sententiam alteriusutrius abeam. Nam 1. in codd. etiam in vetestussimo Taur. legitur a manu prima *„Terea gemmatis flaviscunt* [sic] *mella canistris"* 2. *„mella et favos"* (cf. v. 14) coniungit Sedulius etiam II 268 *exsuperantque favos et omnia mella.* 3. de melle cogitandum esse hoc loco prosa praecipue colligitur: „In ipsis etiam ferculis pretiosa nimis varietate gemmatis flavescunt *nectareis sua mella cum ceris* et aureis oppositus in canistris concolor metallo favus alludit". Cum locutione cf. Ov. Met. VIII 670 *Pocula . . flaventibus illita ceris.*

I 39 *letale malum* cf. Virg. Ae. VII 375 *furiale malum*, XII 877 *letalem sonum*. — I 51 *arida humus* cf. Virg. G. I 79 *arida sola*. — [I 75 *mystica virtus*, II 166 cf. Virg. G. I 166 *mystica vannus*]. — I 77 *liquidas undas* = Virg. Ae. V 859. — I 80 *angusto calle* = Virg. Ae. IV 405 *calle angusto*. — I 88 *mediis pruinis* = Virg. G. I 230 *medias pruinas*. — I 99 *vox ferrea* = Virg. Ae. VI 626 *ferrea vox*. — I 102 *bibulae arenae* = Virg. G. I 114 *bibula arena* (Lucr. II 376). — I 109 *frigidus sanguis* = Virg. G. II 484. — I 137 *Pervia . . caerula ponti*[1]) cf. Virg. Ae. VII 198 *per vada caerula* (et Ae. III 208, IV 583). — I 195 *vastum aequor* = Virg. Ae. II 780, III 191. — I 199 *durum exitium* (Arev: al. *dirum*) cf. Ae. XII 924 *exitium dirum*. Cum in cod. vet. Taur. sit „*dumque*" (*ru* supra scripsit m. 2.) et praecedat „viri", succedat „subirent", quo mendum illud codicis natum esse videtur, lectio *dirum* verisimilior apparet. — I 246 *turpem bovem* cf. Virg. G. III 52 *forma bovis, cui turpe caput*. — II 113 *molle pecus* = Virg. Ae. IX 341, G. III 299. — II 225 *ventosa gloria* = Virg. Ae. XI 708. — III 37 *fessos artus* = Virg. G. IV 190, Ae. II 253, III 511, IX 814. — III 70 *placido marmore* cf. Virg. Ae. VIII 96 *placido aequore*. — III 104 *superas auras* = G. IV 486 Ae. V 427, VI 128, VII 768. — [III 133 *funereosque modos* cf. Virg. Ae. VII 337 *funereasque faces*]. — III 189 *lubricus chelydrus* cf. Virg. Ae. V 84 *lubricus anguis*. — III 227 *vasti freti* cf. Virg. G. IV 430 *vasti ponti*. — III 254 *invalidasque manus* cf. Virg. Ge. IV 498 *invalidasque . . palmas*. — III 301 *dubia sub morte* cf. Virg. Ae. II 359 *dubiam in mortem*. — III 315 *medii ponti* = Virg. G. III 237 *medio ponto* — IV 118 *aquosis gentibus* cf. Virg. G. IV 430 *gens humida ponti*. — IV 145 *squameus anguis* = Virg. Ge. II 154 *squameus . . anguis*. — IV 216 *res dura* = Virg. Ae. I 563. — V 425 *aethereas . . auras* = Virg. Ae. VII 557. — Hymn. I 82 *dulcis amor* = Virg. G. III 291.

Praeterea sunt quaedam voces, quae a Virgilio in versus capite semper vel plerumque ponuntur. Servavit etiam hanc Virgilii proprietatem Sedulius noster, cuius imitationis exempla nonnulla habes haec: I 74 *diluvii* cf. Virg. Ae. VII 228, XII 205. — I 302, IV 68 *corruit* = Ae. X 488. — I 310 *afforet* =

---

[1]) v. 139 *pelagi mare* cf. Eur. Iph. T. v. 300 πέλαγος ἁλός.

Ae. I 576, IV 35. — II 45, V 201 *intemerata* = Ae. II 143, III 178, XI 584. — II 106 *venimus* = G. IV 449, Ae. I 528, II 743, VI 671. — II 133 *suscipit* = Ae. VI 723. — II 247 *annuat* cf. *annuit* Ae. IV 128, IX 106, X 115, XI 797, XII 841. — II 249 *adveniat* = Ae. VII 265. — III 19 *perge* = Ae. I 389, 401, IV 114, XII 153. — III 61 *auxilio* = Ae. I 571, 621, II 452, V 686, VIII 171, XI 420. — III 138 *dixerat* = Ae. II 152, 621, 705, III 607, IV 238, 331, 663, V 84, 740, VI 633, 752, VII 212. — III 184 *seminecem* = Ae. V 275. — III 199 III 255, V 330 *venerat* = Ae. II 343, VI 457, X 719. — 229 *miratur* = G. II 82, Ae. I 421, 422, 456, VIII 92, 310, III 619, 730. — III 259 *contigerat* = Ae. V 836. — III 260 *nutribat* = Ae. XI 572. — III 268 *disce* = G. III 414, Ae. II 66, XII 146, 435. — III 303 *redde* = Ae. X 61, XII 936. — III 310 *tollitur* = G. III 111, Ae. IX 567, XI 745, XII 462. — IV 33 *conspicit* = Ae. IV 261, V 611, VI 656. — IV 74 *vade* = Ae. III 462, 480, IV 223, V 548. — IV 187 *deserit* = G. I 364, Ae. IV 144, VII 543, IX 694, XI 470, 902, XII 683, 698. — IV 189, V 2, 315 *coeperat* = Ae. XII 941. — IV 204 *sternitur* = Ae. V 481, 821, VII 533, IX 666, X 429, 730, 781, XI 87. – V 58 *spargitur* = Ae. VIII 695, XI 191. — V 92 *labitur* = G. III 498, Ae. III 309, V 329, VIII 91, X 687, XI 818. — V 143 *obicit* = Ae. VI 421, VII 480. — V 203 *constituere* = XI 185. — V 226 *ingemit* = Ae. I 93. — V 231 *abstulit* = Ae. III 199, IV 29, VI 429, VIII 567, XI 28, XII 382. — V 274 *interiora* = Ae. IV 645. — V 296 *nobilis* = Ae. VII 564. — V 309 *ponite* = Ae. XI 309. — V 368 *efficit* = Ae. I 160. . .[1]) Sed haec quidem hactenus. Virgilii imitationem Sedulianam satis explanasse mihi videor exemplis modo large modo parce adlatis. Exempla omnia propter libelli angustias exscribere neque potui neque volui. Attamen quae exstant, sufficiunt, ut opiniones nonnullorum

---

[1]) Nomen cum praepositione (sine) loco adiectivi ponitur: I 33 *sine tempore regnum.* — I 257 *geminum sine sole diem* cf. Virg. Ae. VI 534 *tristes sine sole domos.* — II 66 *imperium sine fine* = Virg. Ae. I 279. — II 252 *Continuus sine nocte dies.* — III 206 *sine labe resurgunt.* — IV 2 *sine nomine mixtum vulgus.* — IV 240 *proprio sine crimine nullus erat.* — V 245 *nec tellus sine clade fuit* — V 281 *cui licuit sine morte mori.*

vel refellantur vel corrigantur[1]) eorumque permulta ita sunt comparata, ut indici locorum ad Virgilii exemplar expressorum, qualem instruxit Woldemarus Ribbeckius, sint inserenda. Iam accedamus ad metricam artem Sedulii[2]) accuratius describendam, sed tamen ita, ut respiciamus, de quibus consentiat dissentiatve noster ab aliis.

V. De metrica arte Sedulii.

Primum de versuum exitu disseramus. Notandum igitur est Sedulium locis non paucis hexametrum finiisse verbo monosyllabo, cui praecedat monosyllabum, his: I 187 *littera sol est,* 309 *filius est nunc,* 319 *filius hic est,* 320 *filius hoc est,* 331 *ambulat, hic stat,* III 288 *viderier hunc ω,* IV 29 *spargitur ut sit,* 86 *denique qui sis,* 164 *miracula nil sunt,* V 264 *abeuntibus in se,* 279 *pessima non tu,* 280 *pervenit ad te,* cum thesi pyrrhichiaca pedis quinti V 276 *dic, ubi nunc sit,* III 176 *non habet ex se,* qui versus tamen in codd. optimis deest. Versus finis continetur verbo auxiliari *est,* cuius tamen vocalis supprimitur: I 144 *denique verbum est,* 239 *machina sermo est,* 255 *semper ubique est,* 290 *ferrĕ sŭāve est* (*est* om. cod. Taur.), 321 *et pater in me est.* (Arev.) Delendum est vox *est* hoc loco, nam neque in cod. vet. Taur., neque in auctoris ipsius paraphrasi legitur (cf. Evang. Joh. X, 38 ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ κἀγὼ ἐν αὐτῷ), II 97 *maxima vitae est* (cod. Taur. ITA∘EST), 293 *quicunque necesse est,* IV 14 *condere velle est,* V 353 *victima grata est,* hymn. I 43 *vellere sicca est,* 107 *poena malorum est.* (cod. Taur. *sit* m. 1, corr. m. 2). Exempla, quae attuli enclisi excusantur. Praeterea notandum est Sedulium legem illam: accentum metricum in exitu hexametri consentire debere cum grammatico optime servasse. Hanc praestantissimorum poetarum normam respexit poeta etiam in versibus in vocabula tetrasyllaba exeuntibus eo, quod verbum monosyllabum praemisit,

---

[1]) Cf. Ebert. (L. d. M. I) p. 362. „Dass trotz dieser Originalität auch Sedulius zeigt, wie er bei Virgil in die Schule gegangen, versteht sich; er scheut sich selbst nicht, einmal einen ganzen Vers aus der Aeneis zu entlehnen.“

[2]) Post Lucianum Muellerum hanc quaestionem repetii, ut partim capita quaedam accuratius illo et fusius tractarem partim de illius iudiciis mihi improbatis disputarem.

cf. IV 276 *nón deitate*, IV 157 *atque inimicae*, V 171 *moxque alienos*, V 211 *húnc reprobavit*,. V 196 *rex Iudaeorum* (versus spondaicus), excepto versu III 313 *dominús dominantum* [1]); item in versibus, qui finiuntur vocabulis quinque syllabarum ut: IV 222 *Samaritanae*, V 9 *clarificavi*, V 123 *exitialem*, V 293 *immaculatum*. Eandem normam antiquorum poetarum exemplum secutus servavit noster in versibus, qui verbis trisyllabis terminantur. Apte A. Zingerleinius adnotavit in libro illo (zu späteren lat. Dichtern S. 73 ff.) esse quaedam vocabula trisyllaba, quae nonnisi in fine versus a Virgilio aliisque ponerentur ut colonus, cf. Sedulium III 9 *virtute colona*, III 236 *veniente coloni* — cachinnus (Zing. p. 81), Sed. I 332 *crispare cachinnum* — amictus (Zing. p. 80), Sed. V 235 *velatus amictu* — cruor: Sed. I 118 *typicique cruoris*, III 116 *perpessa cruorem* (cf. Virg. Ae. V 469 *crassumque cruorem)* — creatus (= natus) Sed. II 70 *ille creatus*, II 144 *nondumque creatus* cf. et. I 105 *iure creandi*, II 118 *potuere creari*, 244 *cuncta creando*, V 194 *natura creantis*, V 283 *genetrice crearis* — cucurrit apud Virg. nonnisi in versus fine legitur, Sed. I 156 *rupe cucurrit* (?), 165 *luna cucurrit*, III 126 *fonte cucurrit*, V 288 *unda cucurrit*, hymn. I 61 *deducta cucurrit* — coruscus (Virg. Ae. XII 701 *ipse coruscis*, I 164) Sed. I 231 *atque coruscis*, I 181 *curruque corusco* (cf. Virg. G. I 233, Ae. II 333, VIII 391), V 234 *nube coruscos*, 430 *tractusque coruscos*, I 337 *vexilla coruscant* (cf. Virg. G. IV 73, 98, Ae. VIII 661) — cruentus: Sed. II 119 *rege cruento*, III 74 *nexuque cruento* (cf. Virg. Ae. 1 296, II 272, III 632, VIII 297 al.), V 202 *utroque cruentos* — priorum (piorum): I 93 *cana priorum*, hym. I 91 *vota priorum*, 95 *antiqua piorum*, 37 *votumque piorum* (cf. Virg. G. III 292, Ae. IV 464 [cf. adnot. Ribb.] VIII 312). Saepe verba cum syllaba **re** composita in versus fine ponuntur (cf. Zing. l. c. p. 75): relinquens (cf. Virg G. III 438, Ae. XI 830) Sed. II 214 *excelsa relinquens*, V 22 *exempla relinquens*, 136 *alta relinquens*, IV 88 *hominemque reliquit*, 188 *lymphata reliquit*, V 119 *facta reliquit*, 409 *surrexere relictis* — recessit (cf. Virg. Ae. II 300, 595, III 53, 311, IV 705, V 526 al.) Sed. I 207 *pietate recessit*, IV 79 *purgata recessit*, 245 *ille*

---

[1]) Paul. ad Timoth. I 6, 15 κύριος τῶν κυριευόντων. Tert. de res. carn, c. 23 dominus dominantium.

recessit, V 240 *moriente recessit* — Sed. I 116 *pietate remota,* V 114 *tenebrisque remotis,* 179 *ore removit* (= Virg. G. I 131) — Sed. II 227 *humilique refulgens,* IV 153 *meritoque refulgens* [V 175 *maiestate refulgens* codd. nonn. *resurgens.*] (Virg. Ae. VIII 623 *refulget)* — Sed. III 206 *labe resurgunt* (cf. Virg. Ae. IV 531) — Sed. I 304 *ventre remansit*, I 122 *stupefacta remansit* — Sed. I 1, V 389 *requiri* — Sed. II 217 *hoste repulso* (cf. Virg. Ae. II 13) — Sed. III 339 *generale revolvam* — Sed. III 102 *mercede revexit* — Sed. IV 135 *loquensque revixit* — Sed. III 157 *voce reformans* — Sed. IV 7 *directa referre* (cf. Virg. G. I 176 *praecepta referre,* Ae. I 309 *exacta referre)* — Sed. IV 19 *caeloque recondi (recondit* Virg. Ae. V 302, VII 774, X 387, 816) — Sed. IV 120 *praeda redundans* — IV 248 *ore relambit* — Sed. IV 214 *risumque recepit* (cf. Virg. Ae. II 524, IV 214, IX 348, X 899 — Sed. V. 390 *nebulaque recludens* — Sed. V 432 *corde reportant* (cf. Virg. G. III 375, Ae. VII 285, 574, X 511) — hym. I 29 *veniente refecta* (cf. Virg. G. III 511, Ae. XII 788). Missis aliis exemplis talis versuum exitus moneo Sedulium nostrum ad exemplar optimorum poetarum in eligendis verbis paenultimis diligentem esse, quo aut alliterationis, quam dicunt, quaedam forma (cf. Zingerlein p. 77) aut omnino versus finis usitatus efficiatur. Exempla habes supra: Sed. V 179 *ore removit,* IV 248 *ore relambit*, I 134 *ore chelydros* (cf. Virg. G. III 415 *nidore chelydros*), Sed. III 151, 197, IV 197 *ora,* I 357, V 17 . . . *ore,* III 295 *ecce repente,* II 178 *iste repente,* II 50 *ipse decoro,* II 70 *ille creatus,* IV 245 *ille recessit,* I 128 *iuncta calori,* I 310 *omne nepotum,* I 275 *esse deorum,* V 12 *esse ferebat,* I 72 *angue uenenum,* IV 141 *pompa parentem,* III 121 *immersa catervis,* V 222 *flore perenni,* V 167 *morte teneris,* V 153 *terga flagellis,* V 81 *nocte negabis.* V 191 *fulget Eous,* V 343 *anne beati,* I 82 *servat amoenum,* I 194 *ventre ferino* cf. supra *ventre remansit,* I 105 *iure creandi,* II 82 *fraude necandum,* II 84 *legemque legendo,* II 118 *potuere creari,* II 166 *dona lavacrum,* III 92 *membra iacebant,* III 147 *corde videbant,* III 251 *plebe sequente,* III 312 *virente tenebras,* III 335 *mente rebellem,* IV 38 *fronte fenestras,* IV 285 *patuere recessus* — et alia non pauca. Ad alterum genus spectant haec: *p i e t a t e remota* Sed. I 116, *pietate recessit* I 207, *pietate vacaret* V 71: *v i r t u t e peregit* Sed. I 293 = 296, *virtute geruntur* I 342, *virtute colona* III 9, *virtute*

retrorsum V 265 (cf. Virg. Ae. V 258, VII 257, XI 441, XII 827, 913), *virtutis amicum* Sed. I 178 = IV 98, *virtutis adorans* IV 204 (cf. Virg. Ae. X 752, XI 27, 415 *virtutis adesset); relligione solutis* II 93, *relligionis honore* V 289.... De trisyllabis quidem vocabulis a Sedulio in fine versus adhibitis satis! Paulo minor est usus vocabulorum disyllaborum, de quo nunc sermo instituitur. Cuius quaestionis cardo cum in pede quinto vertatur, materiam ita digeramus, ut primum schema, quod est – ⏑ ⏑ – –, tractemus. Atque in hac sede frequentes sunt formae dactylicae nominum cadentium in *men, us (e-oris), er (eris), ar, um, e (is),* quas subsequatur in pede sexto nomen verbumve disyllabum apud poetas gentiles (cf. Zingerl. l. c. p. 45 seq. 57, 59 . ., Ovidius p. 112 s.). Hanc normam secutus est etiam Sedulius:

Culmina tecti I 271, III 129, 270, IV 291, V 270 *(templi), culmine caeli* IV 94, V 135, 182 — *pectore corda* II 208 II 245, III 56, III 120, 306, IV 187, V 350, 272; *carbasa ponto* III 49 (cf. Zing. S. 56) — *aequora* III 63 *(placat),* 224 *(puppim),* IV 113 *(plebem)* — *caerula ponti* I 136 = II 222 = III 219 — *marmora plantas* I 140, 157 *(potum),* III 228 *(plantas)* — *marmore puppim* III 70. — *sidera terris* II 290, III 203 *(tandem),* IV 56 *(tangit),* V 5 *(duxit),* 243 *(caeli* cf. Zing. S. 51). — *sidere plantae* V 192 — *lucida caeli Sidera* I 101 — *tempora nosti* I 67, 92 *(dictis),* 188 *(lucis),* 210 *(lustrans),* II 98, 139, I 33, IV 158 *(Moysi),* V 237 *(fulsit)* — *tempore regnum* I 33, IV 158 *(Moysi),* V 239 *(fulsit),* 259 *(prisco),* 337 *(somni)* — *temporis horis* V 369 — *limina tecti* I 44, 190 *(claudens),* 287 *(cordi),* III 246 *(mensae),* IV 12 — *limine mensis* II 41, III 290 *(vitae),* V 382 *(clauso)* — *nomina solus* I 66, II 86, IV 161 — *nomine Iesum* I 169, 185 *(fulgens),* III 161, IV 2, V 16, 360 — *nominis* V 316 — *corpore sanguis* I 109, II 61, 133 *(sentit),* III 87 *(nasci),* 183, 273, IV 192 *(foedo),* V 99, 159 *(toto),* 262, 325 — *corpora terram* I 68, II 258 *(nostra),* III 25 *(morbis)* — *viscera Sarae* I 107, II 45, III 193, IV 186 — *ubera natum* I 113 = II 126 (cf. Zing. p. 57 *ubere natos* Sil. 4, 370, Val. 2, 185) — *vulnera nati* I 117, IV 77 *(nutrit),* V 163 *(figis)* 303 *(ferri)* — *vulnere sensum* IV 143, h. I 15 *(cunctos),* — *robora flammae* I 131, III 47 *(cymbae),* V 125 *(flammis),* 184 *(mem-*

bris) — *robore nullum* IV 46 — *munera rebus* I 158, II 95 *(regi)*, 146 *(linguae)*, IV 33 *(formae)*, 208 *(semper)*, 227 *(lymphae)*, V 20 *(coenae)*, 35 *(sanxit)*, 55 *(lucis)*, 290 *(nostrae)*, 336 *(fallit)*, h. I 63 *(servis)*, 93 *(legis)* — *munere puro* III 177, 178, 241 *(fili)*, V 4 *(plenam)*, 44 *(gessit)*, 323 *(matres)*, h. I 45 *(gentes)* — *guttura rostro* I 172 — *lumina terris* I 250, II 89 *(caelo)*, III 198 *(surgunt)*, 296 *(vultu)*, IV 36 *(tangens)*, 107 *Christus*, V 218 *(tantum)* — *lumine cordis* III 286, 304 *(vitam)*, IV 201 *(formas)*, 244 — *luminis huius* V 51, 322 *(ortu)* — *tartara iussit* I 221, II 297, V 311, 428 — *pascua regem* I 235, II 300 *(Christi)*, III 169 *(vendat)* — *brachia nudis* I 327, III 55 *(saxis)*, 297 *(tendit)*, V 93 *(tolli)* — *praemia vitae* I 341, II 254 *(miles)* — *saecula civis* I 348, II 64 *(cuius)*, h. I 89 *(prima)* — *semine sumpsit* II 10, III 272, IV 257 — *crimina facto* V 42, 115 *(gentis)* — *crimine gentis* II 87, 117, IV 240, V 132 *(culpae)*, 143 *(ducit)*, 207 *(multo)*, h. I 21 *(fratrum)*, 33 *(poenae)* — *pignora foetae* II 113 — *gaudia blandae* II 282, 295, III 69, 142, IV 209 *(vitis)*, V 329 *(portans)* — *flumina membris* II 161, III 175 — *retia mundi* II 281, V 395, 396 — *pocula musto* III 7 — *nectare Christus* III 8 — *tegmine blando* III 10, 282 *(fulsit)*, V 165 *(cocci)*, 176 *(carnem)* — *tegmina carnis* V 173 — *agmine turbae* III 26, IV 139 *(verso)* — *funere pendens* III 34, IV 129 *(passum)*, 136 *(torpens)* — *funera gressum* III 114 — *flamina vires* III 66 — *corporis usu* III 91, IV 185 *(unda)* = 232, V 34, 295 — *vincula nervis* III 94, V 219 *(palmas)* — *lintea tolli* V 347, — *millia passim* III 252, V 73 — *organa nervis* III 256 — *fragmine sumpto* III 271, V 365 *(panis)* — *moenia templi* IV 40, V 116 — *germine vestro* IV 48 — *germina vertat* V 124 — *sabbata propter* IV 183, 184, V 315, 319 — *horrea fructum* I 59 — *avia rectum* I 300 — *grandia nosti* I 349 — *omnia gyro* II 65, 188, *(dicens)*, III 158 *(posse)*, 188 *(reddit)*, IV 194, V 281 *(gignens)*, h. I 23, et adiectivorum similia . . . Praeter nominum formas iam designatas leguntur apud Sedulium in pede V.: Ablativi III. declin. ut *sanguine* I 119 *(fuso)*, V 48 *(Christi)* = 291, 141 *(dignum)*, 208 *(iusto)*, h. I 25 — *ordine* I 253 *(certo)*, III 155 *(sacro)* — *vertice* I 288, II 123, V 327 *vespere, tramite, cuspide, iudice, praeside . . . sentibus* I 277, III 249 — *vultibus* II 154, III 145, V 429 — *faucibus* II 267 *(haerent)*, V 130 — *cursibus*

III 174 — *curribus* IV 292, *cornibus, passibus, fratribus, nubibus, gentibus* ....; Nom. III. decl. *conditor* I 61 *(orbis), vinitor* I 91, *ultiŏ* I 206, *cautiŏ* II 270, *sanctiŏ* V 108, *iussiŏ* III 19, *passiŏ* V 261, h. I 55 *quaestiŏ* ....; Nom. I. decl.: *semita vitae* I 55 = 81 = III 330, I 184 *(caeli)*, II 279 *(pacis)*, 286 *(monstrat)* — *gloria* I 34, 204, IV 304, V 2, 27, 92, 320 *(regis)*, h. I 109 — *gratia* II 48, 53, 243, V 367 — *ungula* IV 298 — *ianua* I 340, h. I 7 — *orbita* I 180 *(sulcos), machina, bellua, incola, femina, nuntia, patria, fabrica, tinea, littera, accola, victima* — Nom. II. et IV. decl.: *filius* II 178 *(inquit* = III 18), III 291 298, IV 210, *angelus* V 15, *tartarus* h. I 63, *hesperus* III, 221, *arbiter* II 78 *(aulae)*, IV 165 *(orbis), signifer* V 62, *aliger* 80, *spiritus* III 243 *(atris)*, IV 160 *(ater)*, V 284 *(artus)* [gen.: I 292, 295, II 239, III 299, V 403], quibus accedunt adiectivorum formae simillimae ut: *ferrea* I 99, *regia* I 284, *noxia* II 6, *innuba* II 39, *maxima* (saepe), *hispidus* III 84, *pampinus* III 11, *fortior* I 262, *sanior* III 117, V 127, *largior* III 168, *maestior* V 113 .... et adverbiorum ut: *caelitus* II 77, 101, V 197, *longius* II 292, *altius* III 277, IV 114, *cautius* V 346, *cominus* IV 127, *fortiter* IV 215, *insuper* V 253, *denique* III 167, IV 86, V 84, 96, *undique* V 195, *scilicet* II 249, *antea* 174 [*quatuor* III 266, *illius* IV 300].

Praeterea Virgilium aliosque saepe adiectivis in *bilis*, *e* cadentibus, et trisyllabis et polysyllabis usos esse in pede V. inter omnes constat. (cf. Zingerl. Ovid. p. 112.) Et in hoc usu Sedulius poetas gentiles praecipue Virgilium secutus est cf. I 265 *flebilis (orat)*, III 254 *debile (vulgi)*, IV 52 *fertile (nutrit)*, V 170 *mobile (semper)* I 227 *mirabile* = III 3 IV 299, I 298 *triplicabile (simplet)*, II 15 *irreparabilis (horae)*, III 139 *immobile (corpus)*, V 101 *sanabile*, 174 *mutabile*. Frequens est etiam usus infinitivorum III. coniug. (cf. Zing. l. c. p. 64) Sed. I 25 *psallere*, 50 *gignere*, 89 *currere*, 258 *crescere* = II 9, I 260 *iungere*, 323 *tradere* = V 436, *sumere* I 353, IV 173, 267, V 75, 150, 151, *linquere* I 354, *fervĕre* II 128, *tollere* II 149, *vivere* II 184, III 82, 140, 184, V 332, *vadere* III 101, *tangere* III 122, IV 190, *credere* III 146, *lambere* III-247, IV 70, *carpere* III 310, *condere* IV 14, *visere* IV 44, *pandere* IV 92, *vellere* IV 243, h. I 43, *surgere* IV 282, *perdere*

V 54, *ponere* V 78, *caedere* V 97, *vendere* V 129, *dicere* V 199, *cernere* V 237, 368, *cingere* V 437, *vescier* III 250 — Inf. polysyllaborum: *contingere* I 98, II 105, *producere* I 326, *succedere* I 177, II 79, *ignoscere* II 20, V 76, *horrescere* II 25, *deponere* II 34, *ostendere* II 94, *evanescere* II 170, *incedere* II 170, *confidere* II 200, *collidere* II 207, *affligere* II 274, *amittere* III 4, *mitescere* III 62, IV 118, *pinguescere* III 191, *recalescere* III 186, *agnoscere* III 231, *consistere* III 326, V 28, *descendere* III 333, *discedere* IV 4, 39, *considere* IV 31 = IV 251, *praeponere* IV 163, *accedere* IV 213, *resumere* V 3, *agnoscere* V 11, *consurgere* V 40, *adducere* V 221, *succumbere* V 248, *invadere* V 278, *resurgere* V 318, *dimittere* V 393, *avertere* h. I 65; *benedicier* II 247, *viderier* III 288, *famularier* II 197. Minor est usus participiorum perf. *dedita* I 39, *addita* I 280, *actaque* III 50, *vendita* III 240, *credita* III 284, *abluta* IV 269 (?).

Iam supra vocabula polysyllaba memoravimus, quae fini disyllabo praecedant. Hoc exitus schema ¨ – – ⏑ ⏑ – iam accuratius videamus. Apud poetas gentiles non raro in hac sede formae nominum in syllabas *do, go, io, men, um* exeuntium leguntur. Quam normam Sedulium etiam secutum esse, exempla testantur haec: *dulcedine* I 7 *(rerum)*, I 70 *(pomi)* 150 *(pastum)*, (cf. Zing. l. c. p. 72), *testudine* IV 233 *(templi)*, *formidine* V 374, *origine* I 256, II 56, 238, *imagine* IV 170, V 65, 387, — *tentatio* II 284 *(ducit)*, *populatio* IV 275, *confessio* V 121, *generatio* V 297, — *cacumine* I 163 *(caeli)*, *velamina* II 58, V 30 *(formae)*, *velamine* III 294 *(formam)*, V 274, *spiramine* II 147, 176 *(plenum)*, IV 101 *(clausum)*, *discrimina* IV 137 *(vitae)*, *discriminis* V 183, *discrimine* V 334, *libaminis* IV 207 *(auctor)*, *moderamine* V 177, *examine* V 213 *(pensans)*, *munimina* V 301, *(possunt)*, *volumina* IV 149 *(traxit)* V 438 — *miracula* I 26, 176, 289, 291, II 72, 180, IV 146, 164... *confinia* I 63 *(terrae* [1]), *silentia* IV 219 *(noctis)*, (cf. Zing. p. 69), *mendacia* I 22, *praecordia* I 110 *(ventris)*, *incendia* I 203, 225, *convivia* I 209, IV 64 *(coenae)*, *exordia* I 364 *(mortis)*, *cunabula* II 92, *contagia* II 158, IV 242 *(moechae)*, *fastigia* II 202 *(templi)* 210, *vestigia* III 100, 235, IV 41, V 25, 399, *commercia* V 118 *(reddens)*, *convicia* V 214. Quibus accedunt adiectivorum formae similes ut: *sollemnia* I 5 *(mensae)*,

[1]) Cf. Lucan. III 275. . . . . *mediae dirimens confinia terrae.*

paschalia I 36, *servilia* II 55, *puerilia* II 121 *(mactat)*, *nocentia* II 151, *caelestia* II 287, IV 109, *precantia* III 107 *(fari)*, V 217, *inania* III 154 *(membra)*, *consistentia* V 251. Frequentes in hac sede sunt etiam ablativi in „*ibus*“ (Zing. p. 72) Sed. I 90 *florentibus arvis, vivacibus* I 103, *discursibus* I 252: *radicibus* I 264, *balatibus* II 114, *plangoribus* II 130, *infantibus* II 131, *piscatoribus* II 220, *clamantibus* III 59, *virtutibus* III 159, *vorantibus* III 217, *percunctantibus* III 320, *sperantibus* IV 5, *languoribus* IV 90, *penetralibus* IV 103, *vitalibus* V 52, *deficientibus* V 225, *quaerentibus* V 331, *vescentibus* V 370, *credentibus* h. I 97. . . . . .

Cum pes quintus duobus vocabulis continetur, hanc Sedulius normam servavit, ut aut disyllabis polysyllabisve succederent monosyllaba fere enclitica ut: *in, per, ab, et, nec, vel, ut, an* . . . aut arsin monosyllabam sequeretur vox pyrrhichiaca, cf. I 114 *at sacer* 314 *est patre,* II 104 *nos quoque,* 109 *non regit*, 110 *ceu leo,* 164 *quod fugis,* 173 *est ibi*, 242 *nos duce,* 280 *cum mala.* . . . Ceterum hac condicione etiam poetas elegantes accentum grammaticum modo neglexisse modo loco movisse, satis constat. Quod in Sedulio saepius factum est, quam Lucianus Muellerus putasse videtur. At neglexit noster normam, quam modo statuimus in versibus, qui ad orationem biblicam sunt composita: II 43 *verbum caro factum* [III 313 supra p. 103], V 7 *veni tamen horam.* Dissentit [1]) locus h. I 105 . . *dare digna piis mala pravis* at, ut mihi quidem videtur, non auctoris sed editorum incuria. In codice Taur. exstare videtur: *piis et* vel *ed mala pravis*, in cod. Laur. plut. XXIV cod. 12 s. XII *piis ut mala* (sic); itaque locus, qualis est in editionibus, integer non esse videtur.

Elisionem longarum seu mediarum in versus principio Sedulius non vitavit, at monosyllabis uti, quae elideret, noluit cf. I 75 *una iterum*, II 94 *ipsae etiam*, III 15 *labi animam*, V 227 *ambo igitur*, V 332 *illae igitur*, V 429 *illi autem*, I 325 *ambo errore*, V 11 *caelo assertore.* Non raro initio versus „ergo“ in brevi eliditur (cf. L. Muell. p. 281) Sed. II 89 *ergo*

---

[1]) Congruit locus, qui est V 47 *neque enim bona mundi,* modo ne sequamur Lucianum Muellerum (de re metr. p. 396), qui lectioni nec favet. Mecum faciunt codd. vetustissimi Ambros. et Taur., qui exhibent *neq:* (= neque). De voce *neque* in thesi elisa cf. etiam infra p. 111.

alacres, 107 *ergo ubi* = 166, III 59, IV 283, V 261, 295; in longa II 298 *ergo agnis.* At ex aliis locis patet, o finale vocis „ergo" a Sedulio corripi cf. II 183, 220, 285, III 8, IV 261, V 69, 411. Semel vox pyrrhichiaca in thesi prima eliditur II 151 *non mala ut,* semel vox dactylica II 210 *culmina et.*

Frequens est usus elisionis initio pedis alterius et quidem vocalium longarum ut I 25 *choro et placidis* (vox iambica eliditur, modo locus sit sanus), 204 *animi o quanta,* II 130 *misceri ante oculos,* 199 *Ter sese attollens* (cod. Taur. *ter se adtoll.*), 218 *caelicolae assistunt,* IV 27 *dubie in caelum,* 244 *oculo alterius,* V 24 *linteolo accinctus,* 83 *continuo ad tristes,* 232 *interea horrendae,* 255 *peniculo infusum,* 387 *enim artifices,* 403 *etenim abluimur.* In thesi pedis secundi vocales longas non elisit, nam loco V 10 *clarificabo iterum,* o finale corripitur ut saepe cf. p. 114. At elisit in arsi tertia I 249 *rerum esse,* II 197 *adorari et soli,* III 285 *Quid quod et Heliam, et clarum videre Moysem?* (Arev.) „Scribendum Quid . . . Helian et clarum sidere Mosen", Luc. Muell. de re m. p. 312 (cod. Taur. *heliae et* m. 1, *heliā* ||| *et* m. 2. — *nomine Moysen* (nunc), *nomin* a m. 2.). Rarus[1]) est usus elisionis in thesi pedis tertii. Vocalis longa vel media eliditur II 221 *piscari animas.*

Frequens vero est elisio in arsi quarta II 191 *regni adfectaret,* IV 65 *sese impertivit,* 274 *tabo exhalabat,* V 174 *nil iam ut mutabile ferret* (Arev.). Dittographia exstare videtur, nempe in cod. Taur. a manu 1. legitur „*iam mutabilae*"; praeterea monosyllabi elisio insolens est. V 377 *sese intulit* 399 *domini ad vestigia,* h. I 83 *cuncti exultate.*

Maior est frequentia cum elisionum tum longarum in thesi pedis quarti: I 43 *Thesidae erratis,* I 68 *formasti in,* 185 *convenit Heliae! merito qui et nomine fulgens* Arev. Offendor praeter alia in elisione monosyllabi. Frustra viri docti loco et carminis et prosae emendando operam perdiderunt. Equidem puto *Heliae* esse genetivum (cf. supra p. 85 *Convenit Euandri* Virg. XII 184) et post *merito* esse interpungendum. Cum in cod. vetustissimo Taur. legatur „*meritoque in*" (vel e mutato „*qui in*") fortasse placet haec mea emendatio: *Convenit Heliae merito;*

---

[1]) I 218 *Deposuit, saevisque in faucibus ira quievit* (Arev.); *que* male insertum esse videtur. In cod. Taur. est „*saevis in*", *q:* supra scripsit m. 2.

quin[1]) *nomine fulgens Hac ope dignus erat,* 348 *conscribi in secula,* II 61 *puerili in corpore,* 133 *alieno in corpore,* III 120 *sano in pectore,* III 157 *auditu et,* 171 *sese auctore,* 182 *synagogae ingressus,* 233 *tanto in gurgite* [IV 105 *meruitque audire*, cod. Taur. om. *que*], IV 234 *directi ad pervia,* V 116 *Pilati ad moenia,* V 212 *praecelso examine,* V 309 *monumento advolvite,* h. I 45 *promisso in munere.*

Neque Sedulius elisionem longae vitavit in arsi pedis V.[2]) qualis est II 203 *tete asseris,* III 144 *fili inclyte.* IV 157 *Vipereasque minas, et scorpionum atque inimicae.* Arev. Ex lege metrica versus vix ferri potest. Quae *scorpionum* lectio ex scriptura „*scorpion*" (um superscr.) nata esse mihi videtur. Accusativi formam *scorpion*, quae legitur Ov. Fast. V 541 *(Scorpion immisit)* praebent praeter alios codd. vetustissimi Ambros. et Taur. Cf. praeterea Probi art. min. 551 (Endl. An. gr. p. 344) „Quaeritur quare hic scorpius et non hic scorpio dicatur; sed cum dicat: venenum scorpii frigidum attigerat utique iam hic scorpius, non hic scorpio facere demostravit."

In thesi elisiones leguntur hae: II 265 *corpore et ore* V 412 *operario in omni* cf. Luc. Muell. p. 286.

Elisiones brevium vocalium et in thesi sexti pedis Sedulius vitasse non videtur, nam ex. gr. vers. V 41 *nec illi* (Arev.), in cod. Ambr. est „*merce deq: illi*" (ne 2 superscr.), in Taur. „*mercedeq:* ||' *lli*, (ne 2 superscr.) *neque* cod. Vind. 307 s. XII. Dissentit Luc. Muell. p. 396.

In hymno altero semel elisionem ausus est v. 52 *unda originem.*

Aphaereseos quoddam genus iam supra p. 102 descriptum est, sequuntur similes vocalium subtractiones ut: I 31 *uná est,* 93 *indicio est,* 132 *virga est,* 204 *quanta est,* 290 *leve est,* 298 *quodque est,* 330 *deo est,* 343 *fixum est;* in thesi I 205 *restincta est,* 316 *ipse est* — II 68 *uisá es,* 164 *quidnam est,* 298 *dei est;* in thesi II 53 *diffusa est* — III 147 *sanum est,* 308 *diu est* — IV 6 *difficile est,* 16 *impossibile est,* 76 *magna est,* 122 *socia istic* (cod. Taur. *socia stic* (i 2 superscr.), cf. Lachm. Lucr. p. 197. Luc. Muell. p. 217), 124 *facile est,* 268 *facta est.* — V 171 *fragile est,* 348

[1]) Cf. prosam: „vel nomine fulgentis . . ."

[2]) Cf Luc. Muell. p. 299.

mentita est, 402 *quippe est;* in thesi V 108 *completa est* = V 261. — h. I 101 *gratia plena dei est* (Arev.). In codice Taur. legitur: *gratia dī p'ena est*, at v. 102 . . *plena dei est.*

Affirmat Lucianus Muellerus p. 311 s. „at e ceteris abstinuere hiatu in arsi adhibendo Tullius Lucretius . . . denique Sedulius extra elegiam quae analepsis habet schema, namque alibi apud eundem scribendum III 285 . . ." cf. supra p. 110. Attamen leguntur in Sedulio versus tales II 77:

Progenitum fulsisse ducem, hoc caelitus astra

III 288 *Principium ac finem, hunc Alpha viderier hunc ω.*

Ex codicum praestantiorum Taur. Vind. 307 al. auctoritate talis hiatus restituendus est v. I 324. ‚*Ite fidem ternam, hic non amplectitur unam.*' [1]) „*ast hic*" edunt Arev. Arntz. Grun. Cell. Potest tamen hoc hiatus genus quodam modo excusari, si respicimus litterae **h** a poetis christianis vim consonantis nonnumquam concedi (cf. Beda de art. m. c. 3). In hymno I. autem talis hiatus facile admittitur cf. I 6 *cuncti* ‖ *unius;* 62 *ligno* | *aspera,* 106 (pentametri). Neque in thesi cavit Sedulius, ne versus hiaret cf. I 290 *cuius onus leve est, cuius iuga* . . I 321 *Sic ait ipse docens: „Ego in Patre, et pater in me"* (verba biblica), Beda de art. m. c. 2 vult scandi ita: do—cens e—gin Pă—trochaeo admisso; ex codd. vetustissimorum Ambr. et Taur. auctoritate V 15 edendum est:

Non tonitrus potuit Christum, seu angelus ullus (*sive* Arev. al.), h. II 17 *enixa est* (codd. Vind. 307, Med. pl. XXIV cod. 12. Bern. 455 s. X) [2]). — h. II 73 *tunc ille audax carnifex (Iudas* edit.), quam lectionem olim (in programm. meo l. p. 19) defendi et nunc exemplo v. 59 s. lib. V. probo: (De Iuda)

Tune cruente, ferox, audax [3]), *insane, rebellis,*
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis . . .

Syncopes, quam dicunt grammatici, usus apud Sedulium neque frequens neque insolens est. Habes exempla haec: *vincla* II 272, III 75, V 303, h. I 81, 82 (*vincula* V 219) — *secli* IV 291 (*secula* h. I 89, II 5), *pericli* V 252, *periclis* III 35.

---

[1]) Cf. etiam infra p. 117.

[2]) Cf. Teuff. R L G [3] p. 1119. 4, qui de hoc hiatu dubitare videtur.

[3]) Cf. Arev. annot. crit. p. 317 „Meus *ferox Iudas, insane:* ceteri *audax* pro *Iudas.* (Etiam codd. Ambr. et Taur.)

Synizesis usum, qui magis magisque senescente lingua imminuitur, Sedulius non vitavit, cf. *cui* I 143, III 100, 194, 234, 308, V 78 *(cuiquam)*, 281, 379 . . .; *huic* V 208; *aurei* III 316, *Darii* I 212, *sacerdotii* I 357 cf. infr. p. 118 *vestigiis* [1]) V 431, *Clarifica, dixit, nomen tuum*; *magnaque caelo* V 8. Hunc versum multimodis viri docti coniecturis vexaverunt; offendebantur enim in voce „*tuum*", quae legem metricam violaret. At versus integritas probatur et auctoritate codd. vet. Ambr. et Taur. et verbis Ioannis evangelistae XII 28 „Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi et iterum clarificabo." — *Moyses* III 208, IV 168 V 274, III 285 (?) — *semihominemque* I 247 (cf. Virg. Ae. VIII 194, supra p. 85).

Breves syllabas finales ante verba ab *st, sc, sp, pr, tr,* incipientia producere sustinuit Sedulius, quod quidem et epicos auctores saeculi p. Ch. n. primi a maiestate carminis non alienum duxisse dicit Luc. Muell. p. 320. II 229 *Namque stulta potens,* II 249 . . . *iam iamque scilicet illud,* V 403 . . . *sanctusque* [2]) *spiritus ignis* (al. *sanctus quoque*). — V 212 *Amborum merita* ‖ *praecelso,* V 290 *Corpus sanguis aqua* ‖ *tria* . . (in caesuris legitimis). Finalis brevis et in consonam exiens, si sequatur h littera, producitur a Sedulio I 35 *Maiestas similis* ‖ *haec* . . . (in caesura); II 77, III 288, I 324 cf. supra p. 112; II 184 *Voce prius* | *hominem,* V 162 *Praeponis* | *humana deo,* V 196 *Scribitur et titulus* ‖ *Hic* . . . In monosyllabis III 296 *Vir humilis maesto deiectus lumina vultu,* h. I 69 *mors fera per hominem.* At id cognosci volo syllabas illas nonnisi in arsi produci. Quae cum ita sint, dubium est utrum positionis an accentus metrici vi syllabae illae producantur. Nam a Sedulio quoque, ut a poetis christianis plurimis, accentui maior vis tribuitur quam a poetis optimis. Colligitur autem eo, quod I) Syllabae mediae in arsi nonnumquam producuntur, in thesi corripiuntur ut: *ubī* II 244, V 121, *ubĭ* III 120, 130,

---

[1]) Itaque etiam II 52 lectio codd. Taur. Vind. 307 al. accipienda est „*Prae filiis hominum*" pro „*prae natis h.*" (Arntz. Arev.), cf. etiam prosam.

[2]) Codd. Ambr. *scosq: sps.* Taur. *scsq; sps* m. 2. Falsa igitur esse videntur, quae dicit Luc. Muell. p. 318. Versu I 25 „. . *caelestia psallere verba*" vocalis finalis corripitur, cum „*ps*" idem valeat ac simplex littera (ψ).

V 222 . ., *mihi* III 303, *sibi* III 303, IV 290, V 237, 338, 348, h I 79, *sibĭ* IV 26, h. I 31, 69, *tibi* V 354, h I 109 *tibĭ*, *volŏ* III 29. *egŏ* III 166, 167, *homŏ* IV 175, 184, h. 1 95, *sciŏ* IV 86, *leŏ* II 110, at non solum in vacabulis iambicis sed etiam in aliis *sermŏ* III 196, *nemŏ* III 169, IV 230, *virgŏ* III 130, h. II 16, *praedŏ* III 307, *mandŏ* V 421, *nesciŏ* IV 166, *ergŏ* cf. supra p. 110, *cognoscŏ* IV 87, *illĭus* II 256, *alterĭus* II 272. . . . In hunc numerum vocabula referuntur, quorum syllabae finales a poetis optimis non corripiuntur cf. *(ratiŏ), ratiō* II 120, *cautiŏ* II 270, *laniŏ* II 127, *tentatiŏ* II 284, *iussiŏ* III 19, *imagŏ* III 92, V 167, *legiŏ* III 215, *aerugŏ* IV 21, *oratiŏ* IV 217, *sanctiŏ* V 108, *latrŏ* V 155, *arundŏ* V 170, *passiŏ* V 261, *generatiŏ* V 297, *ultiŏ* I 206, *quaestiŏ* h. I 55 (de pede quinto cf. etiam supra p. 107), *properabŏ* I 365, *sperandŏ* I 350, *reprobandŏ* V 82, *praedicendŏ* V 62, *octŏ* III 202, *anteă* I 174, *pervenĭs* V 280, *spiritus (igne)* II 239, *spiritŭs* (gen.) I 292, 295, III 299, V 403, *vagitŭs* (pl.) II 120, *domŭs* (gen.) III 161, *sexŭs* (gen.) III 266.

In thesi syllabae mediae ante mutam c. l. facile corripiuntur cf. *pătris* I 313, *pătre* I 314, *pătrem* II 234, *tenĕbris* II 209, *săcras* III 228, IV 40, 146, V 200 . . . h. II 40, *săcravit, ătrox* III 41, *pĕtrae* V 267 . . . .

II) Syllabae breves versus ictu intenduntur in arsi: *decōre* III 30 (cf. Virg. Ae. V 647 *decōris), tĭnea* IV 21. *Nec tergēre sacras, nec cessat lambere plantas* IV 70. Codices nonnulli, etiam Vind. 307 praebent „*Tergere nec* . .“ Taur. „*Nec tergēre*“.

h. I 21 *Reppulit ille famem, venitus crimine fratrum* (Arev.) Nonnulli codd. habent „*distractus*“. In codd. Taur. Marciano aliis est „*venditus*“ ut v. 22. cf. Luc. Muell. p. 349.

h. II 9 *clausa parentis viscera* (cf. meam comm. prog. p. 17, Hageni carm. med. aevi p. 44, Sed. C. p. II 47 . . . *clausa ingrediens et clausa relinquens [viscera]*). h. II 54 *centúrio.*

I 322 *Rursus: Ego atque Patér*‖*unum sumus. Arrius unum.* (Arev. [1])

IV 46 *Frondea ficus erat, cuiús* | *in robore nullum.*

IV 107 *Procumbens oculis, cuiús* | *in lumina Christus.*

IV 209 *Quae sua sunt, fructus segetis* | *et gaudia vitis* (Arev. [2])

[1]) In cod. Taur. est „*rursus ego et pater unum sumus. si arrius unum*“.

[2]) „*Quae* [sua²] *sunt* |||||||| [fructus²] *segetis et gaudia vitis*“ Taur., in rasura fuit *fructus*.

I 120 *Humana pro gente pius* || *occumberet agnus.* Codd. Vind. 307, Ottob. 2 praebent *succumberet,* quod etiam in cod. Taur. restituit m. 2 ; a manu 1. in illo libro *„pius occumberet“* habetur. [V 142 *rĕperiens* cf. Luc. Muell. p. 362, at in libris scribitur etiam *„repperiens“].* III) Syllabae longae corripiuntur in thesi: *sceptrŭm ĭuge* I 34, *hŏc ĭugibus* II 255, *ĭuges* III 202, *ĭugem* III 239. *mănavit* I 156 (cf. supra 69), *spĭritu*[1] h. I 110 (cf. Beda de art. metr.), *Rĕgulus* III 12, *medĕretur* III 238 (cf. ann. gym. Austr. 1877 p. 336), *ablŭta* IV 269 (Arev.) *fontib* ||| *ablata* cod. Taur., *abluta* cod. Ambr., *spŭta* V 102, *idŏla* V 146, *trĭduo* V 244, [III 134 *(gemebant) Tibicen, plangorque frequens confuderat aedes.* Sic ex Arev. recensione. Cum in cod. Taur. sit *„tibicenis“, „tibicenes“* in cod. Vind. 307, *„tibicines“* in codd. nonnullis Arevali, genuina lectio *„tibicines“* esse videtur, quacum facit etiam prosa, cf. praeterea supra p. 61], *ĕnorme* III 265 (Arev.) *ĭnorme* cod. Taur., *denărius* II 275 (sed legi potest etiam *denarjos), desĕsia* V 358. De loco h. II 16 *cŏncepit* (?) cf. meum progr. p. 12. Nomina propria Sedulius, ut poetarum christianorum plerique, ad arbitrium metro accomodavit, cf. *Sămarĭtanae* IV 222, *Lĭbana* IV 55, *Isrăel* III 58 (= Prud. Psy. 651), *Hĕrodes* h. II 29 *(Herŏdes* II 88, 115), *Iŏannes* h. II 20, C. p. II 143, *Gabrĭel* h. II 18. In nomine *Mariae* secundam modo producit (cf. II 30, V 359, h. I 53, 54, h. II 4), modo corripit ut II 49 *Quis fuit ille nitor, Marĭae . . .*

Rationem, quae fere intercedat inter spondeos et dactylos singulorum versus pedum, ex tabulae adiectae numeris proportionalibus cognoscas.

v. pedes	I.	II.	III.	IV.	V.
dact.	75·842	50·72	56·686	29·58	
spond.	24·158	49·28	43·314	70·42	1
summa	100	100	100	100	

Quem conspectum si contuleris cum eo, qui propositus est a Fr. C. Hultgreno in Fleckeisenii ann. 1873 p. 751, invenies Sedulium in eligendis spondeis dactylisve praestantiores Romanorum poetas et quidem Valerium Flaccum (p. I. et III.), Claudianum (p. II.), Virgilium (p. IV.) aemulatum esse.

[1]) $\overline{sco}$, $\overline{spo}$ cod. Taur.

De caesuris, cum iam Luc. Muellerus accurate diligenterque egerit in libro saepe laudato, pauca restant, quae referam. Et primum quidem monendumest Sedulium vitasse, ne faceret hexametros incisionis expertes. Praevalet autem longe numero caesura penthemimeris virilis, quacum saepissime coniuncta est caesura hephthemimeris. Exempla sunt haec:

Caecaque Daedalei | *lustratis limina tecti* I 44.
Fervidus ingentem | *gladius* | *consumeret hostem* I 167.

Frequens est etiam usus hephthemimeris, quacum coniungantur incisiones post arsin secundam et post trochaeum tertium ut:

Insolitus | *frenare* | *diem* | *nec luna cucurrit* I 165,
Praebentes | *sine more* | *dapes* | *alesque rapinis* I 171.

Semiseptenariam cum semiquinaria iunctam sine medio trochaeo caute parceque usurpavit Sedulius. Luc. Muellerus p. 202 sex ita distinctos versus apud nostrum numeravit ut:

II 1 *Expulerat* | *primogenitum* | *saevissimus anguis.*

Inelegantiores versus hos Sedulio attribuit Arevalus, observavit Luc. Muellerus p. 202.

II 122 *Milia, plangoremque dedit tot matribus unum.*

At cum in cod. Taur. sit *milia luctumque dedit* . . . in Reg. I (cf. Arev.), *milia tum*, *luctumque* . . . in Sedulii ipsius prosa *„pueriles milia mactavit aetatis, unoque luctu tot simul genetrices orbavit"*, num Arevali emendationem probabimus?

II 268 *Eloquia exuperantque favos, atque omnia mella.* (In eodem codice Taurinensi est a manu 1. *eloquia exuperant favos* . . . *„que"* m. 2. adiecit).

Neque dubito, quin vocabulo *„que"* etiam privandus sit v. I 218 *Deposuit, saevisque in faucibus ira quievit* (Arev.) In codice Taur. illam particulam m. 2. adiecit. Attamen ferendus [1]) esse videtur versus inelegantior V 236 *Delituit*, *tristemque infecit luctibus orbem*, quamvis in cod. Vat. Reg. 5 legatur *„replevit"*, quod neque placet neque prosa probatur.

Vix placet v. II 289 *Sectarique bonum; hic quia liberat, ille trucidat* | *Hic alit, ille necat: nam* . . ., si consideraveri-

[1]) Cf. Claud. carm. ed. Ieep. praef. p. 63.

mus et caesuram inelegantiorem et versum similem I 331 *Hic loquitur nimis, ille tacet, hic ambulat, hic stat* | *Alter amat fletus, alter* ... Puto „*quia*“ esse delendum libris quamquam dissuadentibus, ut hiatus efficiatur, quales sunt supra p. 112. Fortasse etiam versus 197 l. II. non integer est:

Iussit adorari, et soli famularier uni,

in Arevali enim codice legitur „*soli et*“.

Trochaica levi caesura divisit versus:

Plura dari, saevaque locum obsidione teneri V 302.

Debet scire, sumusque Sabellius esse fatendum I 323 (simul incisione trochaica secunda admissa cf. Christ. de art. m. p. 191).

In veterum poetarum praeclaris operibus non raro versus inveniri, quibus in caesura semiquinaria et versus fine similiter sonent syllabae, hodie nemo nescit. Nominant autem hos versus leoninos. Tantum abest ut putem tales versus a poetis aureae aetatis litterarum Romanarum consilio esse compositos, ut eorum plurimi casu tales nati esse mihi quidem videantur. At poetarum vergentis antiquitatis permulti, qui omnino versibus ornate fingendis multam operam dederunt, consulto et cogitato rimis versus exornasse sunt putandi. Cuius rei testis mihi est Sedulius, poeta omnino versuum artificiosorum studiosus (cf. supra 43), in cuius carmine paschali permulti versus leonini inveniuntur. Et in primo quidem libro (versuum hexametrorum 368) 99, ut:

v. 3 *Pone supercilium, si te cognoscis amicum.*
v. 7 *At si magnarum caperis dulcedine rerum.*
v. 10 *Quorum multiplices nec numerantur opes.*
v. 22 *Plurima Niliacis tradant mendacia biblis.*
v. 174 *Nunc bonus Heliae, qui perfidus ante Noe.*
v. 350 *Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit.*
v. 359 *Quatuor hi proceres una te voce canentes.*
v. 360 *Tempora ceu totidem, latum sparguntur in orbem.*
v. 369 *Semina mittentes, mox exultabimus omnes.*

in secundo libro (v. 300) 74, ut:

v. 82 *Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.*
v. 105 *Si cupimus patriam tantem contingere postquam.*
v. 150 *Tollere quum dicit, quod non habet, hoc mihi tollit.*

v. 151 *Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia perdat.*
v. 275 *Denarios centum conservum senserit ullum.*
v. 197 *Iussit adorari*[1], *et soli famularier uni.*
in libro tertio (v. 339) 87, velut:
v. 165 *Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis.*
v. 284 *Contigit in mundo, quae non sunt credita mundo.*
v. 276 *Urbs in monte sedens, modio nec subditur ardens.*
v. 321 *Caelestis regni, quis possit maior haberi.*
in libro quarto (v. 308) 68, cf.:
v. 30 *Quae perit, ut maneat, quae vitam mortua praestat.*
v. 250 *Huius damna tenens, huius compendia perdens.*
in libro quinto (v. 438) 79, cf.:
v. 251 *Perdita restituens, non consistentia perdens.*
v. 378 *Expediens palmas, nudat latus: ast ibi Thomas.*
v. 428 *Tartara post caelum, penetrat post tartara caelum.*
in elegia I. (hex. 55) v. 15, 17, 69.

Syllabae finales rimis ligantur in hemistichiis pentametrorum cf. C. p. I 2, 6, 10, 12, 14, hym. I 4, 42, 60, 72, 100.

Valet haec rimorum observantia ad locos dubios[2]) recte emendandos, ut I 357 *iura sacerdotis Lucas tenet ore iuvenci* (Arev.), *sacerdotii* codd. Taur. Vind. 307 al. cf. I 212 — V 126 *continuoque truci correptus mente furoris* (cod. Vind. 307), sed dubium non est, quin „*trucis*" sit lectio genuina. At V 132 non apte concentui finalium studuit editor ita „*Lenior ira quidem tantae pro crimine culpae*". Praefero lectionem Ambr. et Taur. „*tanto*", cui favet prosa „*Parva siquidem poena pro tanto videretur illa flagitio . . .*" Similis locus I 71, ubi codd. nonnulli pro „*sacrati*" habent „*sacrato*". Prava est lectio cod. Ambr. H. 80 haec: II 163

Iordanis refluens cursum convertit in undas

codd. meliores habent „*refluas*", quod est genuinum. Perdifficilis est locus II 191 ab Arevalo ita emendatus:

Scilicet ut fragilis regni affectaret honores

(rimo neglecto). Consentit prosa „*regni fragilis*", at in cod. Taur. versus ita habetur:

Scilicet ut fragilis regna adfectaret honoris

(rimo admisso). Quam quaestionem decernere nondum audeo.

[1]) Cf. supra p. 117.
[2]) Cf. supra p. 71 adn.

Id tantum moneo ex pronunciatione tum temporis vulgari syllabas finales *is-es* dissonare non videri (cf. meam comm. in progr. Vind. p. 30). Non raro illae syllabae ea condicione, quam modo statuimus, a Sedulio sunt adhibitae, cf. II 83, h. I 14 . . .

Etiam in caesura hephthemimeri saepe syllabae finales ad rimum factae sunt, cf.:

I 120 *Humana pro gente pius occumberet agnus.*
258 *Sic lunae quoque vota ferunt, quam crescere cernunt.*
319 *Non quia qui sumus pater est, et filius hic est,*.
320 *Sed quia quod summus pater est, et filius hoc est.*
II 47 *Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relinquens.*
245 *Sanctificat nisi corde pio, nisi pectore casto.*
III 16 *Credenti quae nulla negat, nec dona retardat.*
181 *Intrabo in Domini requiem, quia nescio mercem.*
300 *Nec linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris.*
IV 21 *Non mordax aerugo vorat, non tinea sulcat.*
V 54 *Sors melior nescire datam, quam perdere vitam.*
76 *De meritis, quam sponte suas ignoscere plagas.*

item in trithemimeri quamquam rarius, cf.:

I 5 *Sed modicae contentus adi solemnia mensae.*
119 *Auxilio ventura docet, quod sanguine fuso.*
II 129 *Prospiceres arce ex summa vastumque videres.*

Nonnunquam tres voces uno in versu sibi consonant et quidem arsis pedis secundi et quarti et versus finis. Tales versus trinini hexametri nominantur.[1])

I 246 *Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem.*
312 *At Dominus, verbum, virtus, sapientia, Christus.*
II 101 *In triplici virtute sui. Tunc caelitus illi.*
104 *In patriam, rediere suam. Sic nos quoque sanctam.*
291 *Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis.*
300 *Ora lupi, vitaque frui per pascua Christi.*
III 17 *Velocem comitata fidem, sermone salutem.*
20 *Non dixit, Victurus erit, sed Iam quia vivit.*
[88 *Se voluit, patriamque sibi pater ipse dicavit.]*

---

[1]) Cf. unum Horatii, epist. ad Pis. v. 421
Dives agris, dives positis in fenore nummis
Theocr. XX. 6. οἷα βλέπεις, ὁποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις.

165 *Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis.*
[227 *Et vasti premit arva freti glaucisque fluentis?*
cf. Arev. ann.]
V 4 *Non aliam, sed rursus eam, quam numere plenam.*
[100 *Sustinuit, nostraeque dedit sua membra saluti.]*
250 *Sed pietas, immensa vagas, properabat ad umbras.*
[403 *Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, inde sacramur.*]

V 277 codices non pauci etiam Vind. 307 praebent:
Mors stimulis horrenda tuis? quae semper opimis.

At in codd. vetustissimis iisque praestantissimis versus sic habetur: *Mors stimulus horrenda tuusq: semper opimis* Ambr. *tuusque* Taur.

Praeterea postrema syllaba duorum vel plurium versuum similiter saepe cadit[1]) cf. inprimis I 183—185
Dixit, et humani metam non contigit aevi.
Quam bene fulminei praelucens semita caeli.

I 291—96, 284 seq.
Libertatis opem, radians ubi regia fulvis
Emicat aula tholis, ubi datur digna petenti,
Quaerenti spes certa manet, claustrisque remotis
Pervia pulsanti, reserantur limina cordi.

v. 322—323, 343—344, 345—346; II 1—2, 36—37, 48 seq:
Quae nova lux mundo, quae toto gratia caelo?
Quis fuit ille nitor, Mariae quum Christus ab alvo
Processit splendore novo? Velut ipse decoro.

51—52, 56—60, 65—66, 101—102, 104—105, 199—200, 206 et 207, 221—222, 241—242, 244 seq.
Sanctificetur ubi Dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto
Ut mereamur eum nos sanctificare colendo.

265—266, 270—271, 290—291, 299—300; III 60 s.
Voce simul, miserere citus[2]), *miserere perimus*
Auxilio succurre pio, nil vota moratus
Exurgens Dominus . . . . . .

---

[1]) Quod etiam in Virgilii carminibus non raro fit, cf. Ecl. IV 50—51, X 8—10; Ge. II 343—344, 500—501; Ae. II 459—462, VII 795—798, VIII 620—623, XI 886 s.

[2]) *cito* cod. Vind. 307.

IV 21 seq. *(Non mordax aerugo vorat, non tinea sulcat)*
Nec male defossum famulatur furibus aurum,
Ieiunis quicunque cibum sitientibus haustum
Hospitibus tectum, nudis largitur amictum.
IV 183—184, 268—71, 292—5 alia.

Deinde Sedulium in hymno altero rimis efficiendis quam maxime studuisse, ostendi in commentatione progr. p. 31 s. At non solum rimis, sed etiam aliis verborum versuumque ornamentis studuit Sedulius, scilicet ut aetati facetiarum cuiusvis modi studioso satisfaceret.

Hymnum primum per epanalepsis schema decurrere iam supra monitum est. Alia autem ornamentorum genera animadvertas in versibus his: II 84 seq.

legemque legendo
Negligis et regi regum tua regna minaris.
II 99 *Cernens cuncta deus, praesentia, prisca, futura.*
100 *Semper adest, semperque fuit, semperque manebit.*
IV 275 *Flebant germanae, flebat populatio praesens,*
Flebat et omnipotens.
IV 308 *Qui regit aethereum, princeps in principe regnum.*
cf. etiam V 142.
V 150 s. *Auctor* ***mortis*** *erat, iussus qui sumere* ***lucem***
Auctor ***lucis*** *erat, iussus qui sumere* ***mortem.***
279 s. *... en pessima, non tu*
Pervenis ad Christum, sed Christus pervenit ad te.
416 s. *Inde sequenda docens, Pacem omnes, inquit, habete,*
Pacem ferte meam, pacem portate quietam,
Pacem per populos ...
III 24 *Oppida, rura, casas, vicos castella peragrans,*
IV 229 *Orat, in exhausti tribui sibi dona fluenti.*
V 103 *His alapis nobis libertas maxima plausit.*
et similia.

Sub finem huius commentationis commemorentur loci nonnulli, ubi Sedulius metri causa paulo inusitatiores formas adhibuit. Bis ablativi forma usus est: *praesepĕ*[1]) II 62, IV

[1]) Cf. Charis. 1, 15, Neue. (L. Formenl. p. 231), supra p. 27.

301; *febrĕ* III 14 (cf. Neue, Formenlehre I p. 214); *puppĕ* I 192; *veterī* (abl.) IV 257. Inusitata classicis poetis talis est forma: *lignee* I 268 (cf. Luc. Muell. p. 384). Deinde probavit Sedulius genetivos: *discipulûm* IV 127, V 337; *virûm* III 265 (cod. Taur. *vir* ⁞|*rum*) et admisit infinitivos ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissos: *famularier* II 197 (*famulariet* cod. T.), *benedicier* II 247 (*benediciheredem* m. 1. cod. T.), *vescier* III 250, *viderier* III 288 (in ras. m. 2. cod. T.).

De infinitivo *tergēre* (IV 70) vide supra p. 114.

Suave (I 290) trisyllabum posuit ex optimorum poetarum auctoritate (cf. Hor. Sat. I 8, 17, Christ. Metr. p. 34).

Argumentum.

Vindobonae typis expresserunt Amadeus Gistel et soc.

Vindobonae typis expresserunt Amadeus Gistel et soc.